



HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

DE HEGESIPPO

DISQUISITIONEM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

C. ALLEMAND-LAVIGERIE
PRESBYTER
IN EADEM FACULTATE LICENTIATUS
IN NORMALI CARMELITARUM SCHOLA QUONDAM ALUMNUS


LIBRAIRIE CATHOLIQUE DE PERISSE FRÈRES,

PARIS
NOUVELLE MAISON
RUE DU PETIT-BOURRON, 18
auprès de la place S. Sulpice

LYON
ANCIENNE MAISON
GRANDE RUE MERCIÈRE, 33
et rue Centrale, 8

1850

DE HEGESIPPO



DE HEGESIPPO

DISQUISITIO.

PROOEMIUM.

Ex omnibus antiquitatis ecclesiasticæ scriptoribus, nullos prorsus qui magis quam historici, vel ad christiani nominis decus promovendum, vel ad aperiendum ipsius divinæ institutionis ordinem, prodesse debeant, nisi me forte amor suscepti operis fallit, reperiri posse arbitror. Nam ut res hominum præclare gestas nova et illustriori luce perfundere, magnum facile putes, ita prope sanctum munus dixerim, rerum divinarum memoriam posteris commendare. Quanti momenti sit ecclesiastica historia.

Eorum igitur qui nostra ætate ecclesiasticæ historiæ monumenta singulari studio sunt prosecuti, doctis laboribus æquum est gratulari, quoniam tali exemplo et auctoritate instauratum est saluberrimum studiorum genus.

Non equidem negaverim proxime elapsis sæculis, multos jam eruditione præstantissimos atque

optime meritos de christiana republica viros, ut a dubiis certa, a falsis vera secernerent, totos se totamque industriam impendisse. Quis enim Baronios nesciat, Floridos aliosque quos enumerare sit infiniti operis; at ipsa illa varietas historiarum, quæ mire a tædio et satietate defendit, nonnihil interdum in auctoribus parit negligentiæ, ut difficile sit eos tanto veluti pondere oppressos aliquando non dormitare.

Inde fit ut in evolvendis eorum libris, quædam ab iis admissa primorum ecclesiæ temporum monumenta reperias, quæ cum veris dissimilia videantur, non mediocris doctrinæ et sanctitatis viros offendunt. Nec ab eorum sententia multum abhorret Baronius, prudentia simul et pietate conspicuus : « Ut de antiquioribus loquar, ait, qui ejusdem argumenti (historici videlicet) commentarios ediderunt, invenire difficile est, qui veritatem in omnibus fuerit assecutus. » Hinc, Julius ille Africanus qui ab orbe condito usque ad sua tempora scripsit Chronographiam, et Eusebius post illum tum similis operis, tum ecclesiasticæ historiæ auctor, veris incerta miscuisse, auctoribus non paucis videntur.

Hegesippi fides quibusdam dubia.

Ipsum igitur antiquissimum historiæ ecclesiasticæ patrem, cujus pro virili parte vitam scriptaque recensere nobis in animo est, in reprehensionem quorumdam incidisse, ingenue fatebimur. In iis enim quæ supersunt scriptoris illius fragmentis, quædam aniles fabulas redolentia, quædam aliorum

scriptorum testimonio absona reprehendunt, utque apud illos fraudis non arguuntur, tum Hegesippus vir sanctissimus, tum Eusebius ipse, ita credulitatis crimen non effugerunt.

Verum dum Josephus Scaliger, El. Dupin, L. Cousin, Havercampus, magna viri auctoritate, sed majore supercilio, multa in Hegesippi fragmentis notant et carpunt, ex antiquis Epiphanius, Hieronymus, Rufinus, Sozomenus, e recentioribus vero, Baronius, Cellerius, Valesius, P. Halloix, Dodwellus, Pearsonius, et multi alii non spernendi nominis, laudibus Hegesippianam historiam extollunt.

Inter illas igitur dubiæ quæstionis ambages, non male de christianis litteris meriturus mihi videtur, qui possit efficere ut recisis illis, velut spinis et sentibus quæ ecclesiasticæ historiæ aditum obstruxerant, novo quodam lumine veritatem illustret. Et mihi quidem primum fuerat animus illorum omnium qui ante Eusebium, res ecclesiæ suo tempore gestas, litteris mandare fuerant aggressi, scripta, si quæ superessent, in examen vocare, et illorum fidem perpendere; sed et vires meas consulere oportuit tanto oneri impares, et intra breviores limites, academicæ disputationi destinatum opus, cogere.

Quidquid igitur de Hegesippi vita et operibus veteres tradidere, non leviter transcurrentes sed penitus introspicientes, quantum fidei habeat studiose scrutabimur. Hunc autem in nostra disquisi- Totius disceptationis divisio.

DE HEGESIPPO

Judæis parentibus natus est.

Eusebius[1] quem alii, ea de re, excerpserunt antiqui scriptores. Sed utrum apud Palæstinos, non ita perspicuum. Nec ideo statim affirmandum censeo eum Hiorosolymis oriundum, eo quod, si Eusebio fides[2], civitatis illius fuerit ecclesiæ mancipatus; nihil enim magis usu tritum his sæculis, quam illud in exteras christianorum regiones, peregrinandi studium, utque multos sileam, Justinus stirpe Judæus, Romæ, postquam christianæ fidei nomen dedisset, totum fere vitæ cursum exegit[3]. Nec mirum esse potest, si eam sibi patriam elegisset Hegesippus, quæ divino respersa sanguine, et saluberrimis evangelicæ doctrinæ fontibus irrigata, tota bono Christi odore fragrare videbatur; nec alia de causa evenisse suspicor, ut tres illi ecclesiasticæ historiæ patres, Hegesippum dico, et Julium Africanum[4], et Eusebium, ex illa Palæstinorum beatissima regione, veluti uberrimi fontes dimanarint.

Quod autem de Hegesippi patria quidam tradiderunt[5], eum videlicet apud Syros natum fuisse et educatum, non video unde sit depromptum, nisi forsan ex eo quod a sancto viro usurpatum syriacum sermonem Eusebius dixerit[6].

[1] Euseb., *ibid.*, lib. IV, c. xxii, p. 143.
[2] Cellerius, *Biblioth. des aut. ecclés.* (Paris, 1730), t. II, p. 100.
[3] Cellerius, *Biblioth. des aut. sacrés.* Paris, 1730, t. II, p. 4.
[4] Cellerius, *Bibl. des aut. sacrés.* Paris, 1730, t. II, p. 535.
[5] Halloix, *Vitæ script. eccles. orient.* Duaci (1633), p. 697.
[6] Euseb. *Hist. eccles.*, lib. IV, c. xxii. Edit. Valesii. Moguntiæ, p. 143.

Ut igitur ab illius primæva institutione ducam initium, ad omnia disciplinarum genera se accinxit, nec solum ea omnia arripuit quibus ad humanitatem ingenui viri informari solent, verum etiam, ut ex illius historiæ fragmentis apparet, intentiorem patriæ religionis studio animum adjecit. Inter quæ rudimenta non neglexit Orientalibus linguis operam dare; eumque triplicis sermonis gnarum, Græci videlicet, Hebraici et Syriaci, tum illius commentarii, tum disertum Eusebii testimonium ostendunt[1]. Sed et his latinum quoque adjecisse, Hegesippum crediderim, postquam, provecta jam ætate, Romam deveniens, cum Romanis familiarius versari cœpisset. Hegesippi educatio.

Christianis disciplinis quæ e cœlo veram ac germanam religionem accepisse gloriabantur, aures primum vir Judæus, mox etiam, mosaicæ militiæ desertor et transfuga, manus dedit: quo ætatis suæ anno, quibusve causis illum a paterno cultu deterrentibus, incertum. Fabulis vero proxima sunt, quæ de variis sancti viri lectionibus, tum novo et veteri inter se ab illo collatis Testamentis, nescio quibus innixus argumentis P. Halloix excogitavit[2]; nec magis probatur causarum enarratio ob quas cælibem vitam amplexus est (de quo ipso addubitatur), multo verborum strepitu ab illo scriptore facta. Ad christianam religionem conversio.

[1] Euseb., lib. IV. *Hist. eccles.*, c. XXII. Edit. Vales. Mog., p. 145.

[2] Halloix, *Vit. script. eccl. orient.* Duaci (1633), t. II, p. 698.

Nullum ecclesiæ sacrum ordinem suscepit.

Verissima autem conjectura adducor ut fidem eidem auctori habeam, quum asserit[1], Hegesippum nullum inter honoratos ecclesiæ gradus sacrum ordinem ingressum esse, sed satis habuisse christiani philosophi more, omnem ubique ferendorum de Christo sermonum ansam arripere. Nusquam enim eum nec Eusebius, nec Hieronymus nec ullus quem sciam alicujus nominis inter antiquos ecclesiæ scriptores, presbyterum, vel alium cujuscumque ordinis sacri, ministrum dixerunt. Justini videlicet popularis sui secutus est exemplum, qui quum multum pro vera religione allaborasset, nusquam tamen sacerdotii honore dignatus est[2].

Historiam ecclesiæ scripturus, in occidentem proficiscitur.

Postquam majorem vitæ suæ partem Hierosolymis exegisset, Hegesippus diuturna jam consuetudine de illius ecclesiæ institutis certior factus, alias demum, quæ christianæ religioni nomen dederant, gentes invisendi studio ductus, tribulibus suis valedixit, et in Occidentem profectus est[3], ea videlicet sacræ vetustatis visurus monumenta, quibus postea usus, historiam litteris mandaret. Non igitur inutile, neque forsan ingratum erit, hic nos veluti vela paulisper contrahentes, ut ait Fabius, inhibentesque remos, illa quæ studiose Hegesippus disqui-

[1] Halloix, *Vit. script. eccl. orient.* (Duaci 1633), t. II, p. 698.

[2] Cellerius, *Bibl. des Aut. sacr.*, p. 1 et seq., t. II. Paris, 1730.

[3] Euseb. *Hist. eccles.*, lib. IV, c. XXII. Editio Valesc. Moguntiæ, MDCLXXII. p. 142.

sivit, quantum ætas remotissima siverit, paucis repetere..

Historiæ studium apud omnes gentes sacrum.

Historicorum munus apud Ægyptios, Chaldæos, Judæos, Romanosque sacrum ac solis commissum sacerdotibus[1] diu permansit. Non minori autem laude Ecclesia Christi, eadem vestigia secuta est. Sileo equidem Evangelicam Christi historiam, tum apostolorum Actus, quos beatus Lucas, Pauli auditor, conscripsit; qui quidem libri ad retundendos Christiani nominis hostes sufficerent, adeo in eis divinæ veritatis splendor pellucet, adeo in eorum auctoribus apparet, animus veri virtutisque amans, et inaffectati candoris fulgor.

Romana in ecclesia commendatissimum.

Ab ipsis autem propemodum, ut Baronii verbis utar[2], ecclesiæ Romanæ cunabulis, Clemens qui tertius post beatum Petrum, christianæ religionis summus fuit antistes, septem elegerat notarios qui in res conscribendas ecclesiæ strenue incumberent. Quibus postea totidem additi sunt subdiaconi cognitores. Quæ omnia diligentissime scripta atque recognita, a Romano pontifice singula pariter exactissime disquisita, in publicis ecclesiæ tabulariis condebantur[3]. Hæc autem tam accurato studio comparata, summaque diligentia custodita, et Diocletiano imperante, maximo totius ecclesiæ detrimento una cum sacris divinæ scripturæ libris

[1] Joseph. et al. ap. Baron., t. II, *Præf.* init.
[2] Baronius, t. II. *Præf.* init.
[3] Baronius, *Annal. eccles.*, t. II, *Præfat.* init.

concremata[1], Hegesippi temporibus adhuc supererant.

Apud alias non neglectum.

Sed et alias Christiani orbis ecclesias, eam curam penitus non abjecisse, vero simile est. Locupletissima enim ejusdem apud Osrhoenos consuetudinis documenta, in Eusebii Moysisque Chorenensis historiis habemus. Ex illius enim ecclesiæ thesauris prodiere tum Edessenum chronicon[2], in quo episcoporum Edessenorum seriem perlegere est; tum celeberrimæ illæ Jesu ad Abgarum et Abgari ad Jesum, quæ feruntur, epistolæ[3] tum denique plurima vetustatis monumenta, quæ ejusdem Edessenæ ecclesiæ originem aperuerunt.

Traditiones quanta cura servatæ.

Traditiones autem, quas semper sanctas habuit Ecclesia, primis illis temporibus eo accuratius servabantur, quo ferax eminentium in omni virtutum genere nascentis christianæ religionis ætas, paucos, fervente persecutionum æstu, qui eas scriptis demandarent, viros numeraret. Testantur Irenæus in libro contra hæreses, Tertullianus, Clemens ille Alexandrinus, Cyprianus, Eusebius, aliique quotquot sunt Ecclesiæ patres. « Ecclesiæ disciplinarum si legem expostules, ait Tertullianus[4], scripturarum nullam invenies; traditio tibi prætendetur auctrix. »

[1] Baronius, *Annal. eccl.*, t. II, *Præfat.*, init.
[2] Assemani *Biblioth. oriental.* (Romæ, 1719), t. I, p. 387.
[3] Euseb. *Hist. eccles.* (Edit. Vales. Moguntiæ 1672), p. 31-32.
[4] Tertull. *de Coron. milit.*, c. III.

Et alio libro[1] « quid autem apostoli prædicaverint... et hic præscribam non aliter probari debere nisi per easdem ecclesias quas ipsi apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod aiunt, voce quam scriptis postea. » Cui consonant Clementis[2] verba in libro *Stromatum* « qui veram quidem beatæ doctrinæ servabant traditionem statim a Petro et Joanne et Paulo, sanctis apostolis, filius a patre accipiens, ad nos quoque Deo volente pervenerant, illa a majoribus data et apostolica deposituri semina. »

His autem sacris e fontibus multa hausisse Hegesippum, tum Eusebius[3] tum ipse testantur. « Scribit enim se, ait Cæsareensis[4], quum Romam proficisceretur, plurimos episcopos adiisse, et ab omnibus unam eamdemque audivisse doctrinam. » Δηλοῖ ὡς πλείστοις ἐπισκόποις συμμίξειεν, ἀποδημίαν στειλάμενος μέχρι Ῥώμης, καὶ ὡς ὅτι τὴν αὐτὴν παρὰ πάντων παρείληφε διδασκαλίαν. Quod de Corinthiorum ecclesia diserte ait Hegesippus[5] : « et Corinthiorum quidem ecclesia in recta fide permansit, usque ad Primum ejusdem loci episcopum, quocum familiariter collocutus sum, quum Romam navigarem, nec paucos

Quænam ex his fontibus hauserit Hegesippus.

[1] Tertull. *de Prescript.*, c. XIX, XXI, XXII.

[2] Clem. Alex. *Stromat.*, lib. I, ap. Baron., t. II, p. 393.

[3] Euseb. *Hist. eccles.*, lib. IV, c. XXII. (Edit. Vales. Moguntiæ, 1672), p. 142.

[4] *Id. ibid.*

[5] Hegesipp. *fragm.* ad calcem disceptationis, p. 59, l. 16 et seq.

dies versatus sum cum Corinthiis mutuamque ex recta fide consolationem cepimus. » Et eodem loco hæc addit[1] : « in singulis autem episcoporum successionibus, et per singulas urbes eadem manent quæ per legem et prophetas, et a Domino ipso prædicata sunt. »

Martyrum acta Hegesippi tempore exstantia.

His adjicias velim, quod, quamvis nemo ante Hegesippi tempora Ecclesiæ historiam scriptis commendare fuerit aggressus, non deerant tamen antiquorum auctorum scripta, quæ valde ad illud attrectandum opus prodessent. His annumeranda in primis censeo martyrum acta, e quorum numero licet paucissima, quædam tamen sincera ad nostram usque ætatem pervenerunt. Ex eis Sympherusæ, Eusthatii, Felicitatis, Ignatii, aliorumque martyrum acta, nemo est qui nesciat[2].

Libri apologetici.

Sed fuerant etiam qui Christiani nominis apud imperatores oppressam veritatem scriptis vindicare fuerant adorti, fortissimi ac doctissimi propugnatores. E quibus, mutilis adhuc fragmentis exstant, opera Quadrati Apostolorum discipuli, « qui in locum Publii Athenarum episcopus, Adriano Athenis hiemem exigenti, et Eleusina invisenti porrexit pro religione librum, teste Hieronymo[3], valde utilem, in quo et plurimos a se visos ait, qui sub Do-

[1] *Fragmenta* Hegesippi ad calcem disceptationis, p. 59.

[2] Cellerius. *Nouvell. Biblioth. des auteurs sacrés*. Paris, 1630, t. I, p. 668-670 et seq.; 621 et seq. 671.

[3] Hieronym. *de Viris illustribus*. cap. XIX, p. 84.

mino, variis oppressi calamitatibus sanati fuerant et a mortuis surrexerant, tum Aristidis Atheniensis philosophi, qui, ut idem Hieronymus[1] ait, Apologeticum pro christianis, eodem tempore quo et Quadratus, Adriano principi obtulit. His adde Melitonem[2] Asianum, Sardicensem episcopum, Apollinarem[3] Hierapolitanum, Justinum philosophum et martyrem, alios quos prætermitto.

Apologeticis autem libris ii sunt adjiciendi quos adversus nefandorum errorum seminatores, apostolorum discipuli veluti divino nutu moniti perfecerunt. Illos scilicet imprimis dico quorum plurima Irenæus fragmenta servavit[4], tum celebres illas ab Ignatio, Polycarpo cæterisque conscriptas epistolas[5], egregia denique Castoris Agrippæ, Pellæi Aristonis Melitonisque opera. Ea autem satis sit allegare, quorum ad nostram hanc ætatem velut tenuis aura pervenit; neque enim finis esset operi, si quæ in his libris occurrerent ad scribendam historiam utilia, vellem colligere. Controversiarum libri.

His velut e rivulis qui a christianæ religionis fontibus prope aberant, multa haurire Hegesippo licuit, sed quum essent per varias orbis ecclesias dis-

[1] Hieronym. *de Viris illustrib.*, c. xx, p. 86.
[2] Hieronym. *de Viris illustrib.*, c. xiv, p. 93.
[3] *Id. ibid.*, c. xxvi, p. 96.
[4] Routh. *Relliquiæ sacræ*, t. I, p. 41-57.
[5] Cellerius. *Bibl. des aut. sacrés* (1630), p. 621 et seq.; 677 et seq.

persa aureæ vetustatis monumenta, Judæam reliquit, ut ea sedulo inviseret.

Quonam fuerit peregrinatus Hegesippus.

In plures igitur christianorum urbes, pluresque apud earum episcopos se recepit noster, qui eum liberaliter benigneque, si ab uno omnes discamus, habuerunt. Sed præter Romæ Corinthique civitatum [1], Primique et Aniceti pontificum nomina, aliud nullum sive ex Hegesippianis fragmentis, sive ex aliis antiquitatis scriptoribus accipere contigit.

Corinthum tamen se, ut jam dixi, appulisse ipse testatur, cujus in ecclesia quasi spirantes adhuc apostolorum traditiones didicit. Hanc enim ut divinis verbis utar, Paulus plantaverat, Apollo rigaverat, huic Deus dederat incrementum, hanc ex impudicissima pudicam, ex contentiosa mutua dilectione concordem, effecerat divina gratia.

Romam venit.

Transactis igitur jucundissimæ mansionis diebus cum Primo ejusdem urbis episcopo, Romam venit vir apostolicus, Aniceto itidem Syro, vel Sotere, pontificiam sedem tenentibus. Namque ipse disertissime testatur [2], se quum in urbem devenisset, Romanorum antistitum successiones usque ad Anicetum litteris mandavisse.

Quantum vero temporis ibi manserit Hegesippus, non legi, nam fallitur Halloix [3], qui illum usque

[1] Euseb. *Hist. eccles.* (Moguntiæ, 1672), p. 143, lib. IV, c. XXII.

[2] Heges. *Fragm.* infrà, p. 59.

[3] Halloix, *Vitæ script. eccles. orient.* Duaci, 1633, t. II, p. 701.

ad Eleutherii tempora ibidem permansisse, certum putat; utrum vero illinc demigrarit, et ubi reliquam degerit vitam, quidve rerum (excepta librorum de quibus dicemus postea, conscriptione), perfecerit, in tanta monumentorum penuria nullo modo reperire potui.

Mortis ejus tempus.

Tempus quo ex hac vita decesserit, ex Alexandrino Chronico [1] compertum habemus. Accidit siquidem beatissimus illius exitus, imperante Commodo, anno vero reparatæ salutis CLXXX. Hujus memoriam referunt latina martyrologia [2] ad septimum aprilis diem qui forte ipsius natalis fuit. Græca vero de tali viro (quod mirere) omnino silent, hac tamen de causa, ut quidam suspicantur [3] quod longe ab illis peregrinatus regionibus, atque in terra aliena diutissime commoratus, ac denique (incertum ubi) peregre vita functus, nullam sui excessus apud cives reliquerit memoriam.

[1] *Chron. Alex.* anno. IV. olymp. CCXXXIX, indic. secund. « Ἐπὶ τούτου (Κομμόδου) Ἡγήσιππος τελειοῦται, περὶ τῶν ἀποστολῶν μεγάλως συγγραψάμενος, ὡς ἱστορεῖ Εὐσέβιος Παμφίλου.

[2] *Vitæ sanct.* Bolland. ad diem VII^te april.

[3] Halloix, *Vita script. eccles. orient.* Duaci, 1633, t. II, p. 702.

CAPUT II.

DE HEGESIPPI SCRIPTIS.

Questionis difficultas.

Adumbrata, quantum quidem res tulit, Hegesippi historia, proxima cura est, ut de illius operibus dicam, quod sane est suscepti operis pars longe gravissima, mihi enim æque timendum est, ne aliis credulitatis notam, aliis temeritatis videar incurrere; dumque hoc periculis plenum mare ingressus, Scyllam, ut aiunt, vitare satagam, in Charybdim frangam navem.

Illud tamen Fabii mihi reddit animum, quod in libro *de Oratoris institutione*[1] ait : *Tutioris audaciæ est tentare, quibus paratior est venia.* Susceptæ igitur provinciæ pondus, judicum humanitatem et benevolentiam conciliabit, ut, etiamsi in quibusdam me peccasse existiment, aliquam tamen optimæ voluntatis meæ rationem habeant.

Capitis II divisio.

Totum vero in hac secunda disceptationis parte laborem impendi, ut primo, quænam opera conscripserit Hegesippus ex veterum testimoniis, disquiram; tum utrum sincera, an ὑποβολιμαῖα sint illius

[1] Fabius Quintil. *de instit. Orator.*, lib. XII in proœmio. (Lugduni, 1812), p. 317, l. III.

operum adhuc exstantia fragmenta; denique, quæ illis fides adscribenda sit.

Incipiam igitur ab iis quorum veritas comprobata, cæteris aditum permittat. Antiquorum scilicet auctorum de Hegesippi operibus, audiemus testimonia. Deinde quum plura sint quibus veteres illi ecclesiæ scriptores, circa Hegesippi historiam lucem possint afferre, ea a se separatim perpendemus, ut clariora exinde facta, legenti facilius pateant.

Veterum scriptorum testimonia de Hegesippi operibus.

Primus Eusebius[1], nostri testimonio ipse sæpissime usus ait : « Ex illius (Hegesippi) fide et rela« tione, res apostolorum temporibus gestas tradi« dimus. Hic in quinque libris, simplici admodum « sermone conscriptis, verissimam apostolicæ præ« dicationis historiam complexus est. » (Ἡγησίππου) πλείσταις πρότερον κεχρήμεθα φωναῖς. Ὡς ἂν ἐκ τῆς αὐτοῦ παραδόσεως τινὰ τῶν κατὰ τοὺς ἀποστόλους, παρατιθεμένου. Ἐν πέντε δὲ οὖν συγγράμμασιν οὗτος τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος ἁπλουστάτῃ συντάξει ὑπομνηματισάμενος... Et rursus[2] : « Iisdem temporibus « floruit Hegesippus... et Dionysius... quorum libri « sinceram apostolicæ traditionis ac veræ fidei doctrinam continentes, ad nos usque pervenerunt. » Ἤκμαζον ἐν τούτοις ἐπὶ τῆς Ἐκκλησίας Ἡγήσιππός τε καὶ Διονύσιος.... ὧν καὶ εἰς ἡμᾶς τῆς ἀποστολικῆς παραδόσεως ἡ τῆς ὑγιοῦς πίστεως ἔγγραφος κατῆλθεν ὀρθοδοξία. His

[1] Euseb. *Histor. eccles.*, lib. IV, c. VIII, p. 121. (Edit. Vales. Moguntiæ, 1672.)

[2] *Ibid.*, c. XXI, p. 141-142. (Edit. Vales. Mogunt. 1672.)

proxima tradit Hieronymus[1]. « Hegesippus vicinus apostolicorum temporum, omnes a passione Domini usque ad suam ætatem ecclesiasticorum actuum texens historias, multaque ad utilitatem legentium hinc inde congregans, quinque libros composuit sermone simplici, ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret caracterem. » Eidem Hieronymo suffragatur Sozomenus[2]. « Animus erat, inquit, hoc opus (*Historiam ecclesiasticam*) a Christo nato repetivisse, sed quum animadverterem alios scriptores... Clementem... Hegesippum.... viros sapientissimos idem ipsum ad sua usque tempora scribere aggressos... » Τὰ μὲν πρῶτα ὡρμήθην, ἀπ' ἀρχῆς ταύτην συγγράψαι τὴν πραγματείαν. Λογισάμενος δὲ ὡς καὶ ἄλλοι ταύτης ἐπειράθησαν μέχρι τῶν κατ' αὐτοὺς χρόνων, Κλήμης τε καὶ Ἡγήσιππος, ἄνδρες σοφώτατοι... Denique Photius eum virum apostolicum appellans de quinto Hegesippianorum ὑπομνημάτων libro loquitur[3]. Taceo alios recentioris ætatis scriptores, qui Hegesippi scripta collaudant.

Quid ex iis testimoniis sequatur.

Suam videlicet rerum optimarum scientiam ingeniique præstantiam ad ipsius Dei gloriam et generis humani fructum conferre vir sanctus in mente habuit, scribendo commentarios in quibus uberioribus argumentis, quam cæteri fecissent,

[1] Hieron. *de Viris illustrib.*, c. XXII, p. 89.
[2] Sozom. *Hist. eccles.*, lib. I, c. I.
[3] Phot. *Bibliothec.*, p. 232.

magisque ad sensum permanantibus, eorum pertinaciam revinceret, qui sacris minime acquiescerent disciplinis. Sed ipsos intereà cœnosos fontes e quibus postea fluxerunt tum apud Judæos tum apud christianos variæ sectæ, fidissima relatione aperire non neglexit[1].

Quo facilius, impuram hæreticorum originem exprobrando, eorum pestiferis ausibus obstaret.

Hæc omnia recte et ordine digesta luculento volumine complexus est, cui græce titulum apposuit, Ἐκκλησιαστικῶν πράξεων ὑπομνήματα[2]. De quibus certa quædam et eorum, quos jam allegavimus, auctorum monumentis sunt comprobata; multo plura injuria temporum, velut atra subducta caligine, ab hominum notitia penitus exciderunt.

Hegesippiani operii titulus.

Hieronymus quem legisse ea ὑπομνήματα vero simile est, Hegesippum in iis hæc amplexum tempora testatur quæ a passione Domini usque ad suam ætatem effluxerunt[3]; in quibus animadvertas velim ab antiquissimo scriptore prætermissam historiam Christi, jam a quatuor illis veritatis præconibus, Matthæum dico, Marcum, Lucam et Joannem divinitus exaratam, deinde nòn modo Hierosolymitanæ ecclesiæ, sed et aliarum ecclesiarum actus ab illo tanquam in unum coactos corpus, quod ante eum nemo susceperat aut susceptum perfecerat[4].

Quodam temporis spatium complecteretur.

[1] Heges. *Frag.* infr., p. 54-58.

[2] Euseb. *Hist. eccles.*, lib. IV, c. XXII. (Edit. Vales. Mogunt. 1672).

[3] Hieronym. *de Viris illustr.*, c. XXII, p. 89.

[4] Circa idem fere tempus, id est in finem vergente secundo vel initium tertio ducente sæculo, floruit et alius ecclesiasti-

Quomodo intelligendus sit Eusebius, qui se historiæ ecclesiasticæ primum scriptorem profert.

Non equidem nescius sum Eusebium in ipso ecclesiasticæ historiæ procemio, testari, se « novam quamdam nulliusque adhuc vestigiis tritam viam incedere... nisi quod nonnulli rerum quæ sua ætate contigerant, exiguas quasdam et particulares narrationes reliquerunt, tanquam faces quasdam eminus attollentes, et quasi e specula inclamantes, qua via incedere, et quomodo sermonis curam dirigere debeat. » Πρῶτοι μὲν νῦν τῆς ὑποθέσεως ἐπιβάντες οἷά τινα ἐρήμην καὶ ἀτριβῆ ἰέναι ὁδὸν ἐγχειροῦμεν·.... μὴ ὅτι (τινες) ἄλλος ἄλλως ὧν διηνύκασι χρόνων, μερικὰς ἡμῖν καταλελοίπασι διηγήσεις, πόῤῥωθεν ὥσπερεὶ πυρσοὺς τὰς ἑαυτῶν παρατείναντες φωνὰς, καὶ ἄνωθέν ποθεν ὥσπερ ἐξ ἀπόπτου καὶ ἀπὸ σκοπιᾶς, βοῶντες ᾗ χρὴ βαδίζειν, καὶ τὴν τοῦ λόγου πορείαν ἀπλανῶς καὶ ἀκινδύνως εὐθύνειν.

Sed καταχρηστικῶς loquitur Eusebius, quum aliunde ipse sæpissime Hegesippi testimonio utatur,

carum rerum epitomator Julius, cognomento Africanus, qui, teste Suida, e Libya oriundus fuit. Homo, ut ex eorum quæ scripserat operum reliquiis, tum ex Eusebii Mosisque Chorenensis testimonio apparet, immensæ eruditionis, qui omnium pene gentium bibliothecas evolverat. Hegesippi exemplum secutus, ut jam diximus, in Palæstina præcipue lares fixit. Is fuit autem ejus vitæ splendor, ut civium suorum (Nicopoli, quæ antiquo nomine Emmaüs erat, commorabatur) suffragiis ipsi legatio ad Antoninum Heliogabalum decerneretur, immo si Ebedjesu Sobensi fides sit concedenda, illius urbis episcopus fuerit. Scripsit autem Chronographiam ab orbe condito usque ad sua tempora, et opus inscriptum Κέστοι, quibus, ut gravissimis auctoribus visum est, præstigias et superstitiones, nimis credulus intexuit.

et ex Sozomeni Hieronymique verbis audivimus, nostrum a temporibus apostolorum usque ad suam ætatem, ἐκκλησιαστικῶν πράξεων ὑπομνήματα, scripsisse. Ex ipsis tandem, quæ supersunt fragmentis, extra omne dubium est, illum variarum ecclesiarum historias attigisse. Hæc igitur sibi voluerit Eusebius, nempe se uberiori narratione res easdem prescribere aggressum.

Quem ordinem secutus sit Hegesippus.

Illam autem apostolicæ prædicationis historiam, quo Hegesippus disposuerit ordine ex parte nos eadem veterum testimonia docuere; Eusebii, Hieronymi, Photiique verba totum opus in quinque libros datum ostendunt[1]. Longius vero processuris in ignota via duces desunt.

Hegesippum tamen non accurate rerum gestarum tempora ex ordine in historia esse prosecutum facile credent, qui ὑπομνήματα usque ad Commodi tempora deducta videntes[2], ultimo totius operis libro Jacobi mortem, Vespasiano imperante viro sancto a Judæis illatam, legerint[3].

Ejusdem dicendi genus.

Ad dicendi genus quod attinet ab iisdem auctoribus accipimus, quorum fidem ipsa fragmenta confirmant, illum non elato, non ambitioso, sed quod christianum decebat, simplici stylo et ab omni fastu remotissimo usum fuisse. Hæc Eusebius, hæc

[1] Vid. supra, p. 17 et suiv.
[2] Vid. supra, p. 17.
[3] Euseb. *Hist. eccles.*, lib. II, c. 23 (Edit. Vales.), p. 63, 64, 65.

Hieronymus[1] proferunt, quibus accedit Romanum martyrologium[2]. « Scripsit (Hegesippus) sermone simplici ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret caracterem. »

Tempus quo scripserit.

Tempus quo exarata sunt Hegesippi ὑπομνήματα, nec ultra annum D. CLXXX nec ante Eleutherii pontificatus initium incidit. Eo enim anno ut jam ex Alexandrino Chronico accepimus[3], e vivis excessit Hegesippus, et ipse quodam deperditi nunc operis fragmento, de Eleuthero pontifice mentionem facit[4]. Ille autem summus ecclesiæ antistes, juxta plurimos[5] auctores ab anno divini partus CLXX usque ad annum CLXXXIV Romanam tenuit sedem. Et sane Hegesippum post Adriani imperatoris tempora floruisse, ait[6]. Hieronymus : « Adversus idola disputans (Hegesippus), ex quo primum errore crevissent, subtexit historiam ex qua ostendit qua floruerit ætate ; ait enim : « Tumulos mortuis templaque fecerunt, sicut usque hodie videmus, e quibus est et Antinous servus Adriani Cæsaris, cui et gymnicus agon exercetur apud Antinoem civitatem, quam ex ejus nomine condidit, et statuit prophetas in templo. « Antinoum autem in deliciis habuisse, Cæsar Adrianus scribitur. »

[1] Supr., p. 18.
[2] Martyrol. rom. ad diem VII^um Aprilis.
[3] Vid. sup., p. 15, not. 2.
[4] Heges. *Frag.* infr., p. 100.
[5] Baronius, *Annales eccles.* ad ann. 170.
[6] Hieronym. *de Viris illust.*, c. XXII, p. 89.

Sed vereor ne me longius abduxerit hæc de Hegesippi commentariis studiosa disquisitio; nunc paucis dicendum, quid sibi fidei vindicent eorum fragmenta, passim apud veteres auctores exstantia.

Hegesippianæ historiæ fragmenta, apud veteres.

Hoc ego quum ipse vellem pervidere, evolvenda primum tum veterum, tum recentiorum quorumdam opera suscepi. Jam Hegesippi nomine animadverti insignita quædam apud Eusebium[1], Hieronymum[2], Photium[3], Syncellumque[4]; deinde, præter duo brevissima fragmenta, integrum opus de Hierosolymitano excidio temere nostro adscriptum[5].

Rem vero maturius perpendenti, ῥήσεις illæ quas Hieronymus Georgiusque Syncellus proferunt, non alienæ ab iis sunt quas excerpsit Eusebius, nec ullam apud utrumque dictum auctorem invenire potui, quæ totidem verbis apud Eusebium non exstaret. Photius autem adeo pauca retulit, vel potius summo veluti ore attigit, ut in quæstionem vix possit venire. Eusebius igitur unus remanet, cujus fidem in referendis Hegesippi verbis adstruere conabor.

Mihi enim extra omne dubium est, sincera *ipsis-*

[1] Eus. *Hist. eccles.*, l. II, c. xxiii; l. III, c. ii, xx, xxxii; l. IV, c. viii, xxii.

[2] Hieron. *de Vir. illustrib.*, c. xxii, p. 89 et passim.

[3] Phot. *Biblioth.* cod. 232.

[4] Syncell. *Corp. script. eccles. byzant.*, t. I. (Bonnæ 1829), p. 638, p. 652.

[5] Vid. inf., p. 46.

sima que Hegesippi historiæ fragmenta apud Eusebium reperiri. Id autem comprobatum habeo, tum quia Cæsareensis tempore, Hegesippiana ὑπομνήματα exstiterunt, eaque legisse et sua fecisse, potuit Eusebius, tum ex ipso si non erroris, certe fraudis nescio historici ejus ingenio.

Certum est enim commentarios ecclesiasticorum actuum, ab Hieronymo, Rufino, Photio, citatos, ad Sozomeni usque tempora pervenisse; ille enim eos ut suo tempore notos et exstantes memorat. Quis autem[1] persuasum habuerit, tam multos tamque acris ingenii viros, quidquid de Hegesippo proferunt ab Eusebio mutuatos fuisse (quod fecerunt) nisi apud illum exstantia fragmenta, Hegesippi historiæ adhuc integræ vidissent consona.

Adde Photii testimonium de quinque ὑπομνημάτων libris, apprime cum illo quinto apud Eusebium citato[2] concordans; adde quod nullus ex antiquis vel recentioribus Eusebianæ fidei infensissimis, Cæsareensem in illa re, erroris fraudisve insimulavit. Sit igitur commune judicium pro veritatis argumento, certioresque jam facti, Hegesippi fragmenta, ad nos usque pervenisse, quænam veritatis argumenta præ se ferant, perpendamus.

De Hegesippi fide in conscribenda Ecclesiæ historia.

Statuenda primum et omni rerum inutili sarcina liberanda videtur quæstio; missas igitur facimus breviores ῥήσεις, quæ, cum nulla erroris præ-

[1] Sozom. *Hist. eccles.*, lib. I, c. I.
[2] Euseb. *Hist. eccles.*, lib. II, c. XXIII. Edit. Vales., p. 63.

beant indicia in dubium nusquam vocatæ sunt, ea tantum igitur pensanda suscipiemus, quæ totam eruditorum gentem visa sunt in contrarias partes scindere. In quibus primas illa tenet, quæ Jacobi fratris Domini narrat exitum[1]; proxime sequitur ea quæ de Judæ nepotibus agit apud Domitianum reis[2]. Quæ sedulo pede investigabimus.

Hegesippianæ fidei in narranda S. Jacobi morte, quidam infensi.

Utque a B. Jacobi morte exordiamur, illam falso ab Hegesippo relatam, non minimi nominis auctores censuere; quorum primus Josephus Scaliger, aceto saleque omnem illam disceptationem, pro more suo, diffudit, qui « somniasse Hegesippum, dixit[3], et nihilo veraciorem fuisse in iis quæ « de Judæ nepotibus narravit, quam in passione « Jacobi fratris Domini. » Huic addendi sunt, Casimirus Oudin[4], qui Josephum Hegesippianæ historiæ contraria narrantem « fide digniorem invenit, Hege« sippo qui anno circiter CLXX scriptis claruit, et « annis centum et amplius morte sancti Jacobi pos« terior est; » Petavius[5] qui fatetur nonnulla « vel ab « Hegesippo esse prolata, vel ab aliis inserta quæ « parum probabilia et *subabsurda*, » videantur; Havercampus[6] qui Josephi *Judaicas antiquitates*

[1] Infra, p. 54.
[2] Infra, p. 56.
[3] Scaliger. *Animadv. Eusebium.*, p. 178, 179, 188.
[4] Cas. Oudin. *Comment. de script. eccles.*, t. I, p. 2.
[5] Petavius *animadv. in Hæresim.* LXXVIII epiph., t. II, p. 332.
[6] Havercampus. Josephi oper., t. I, p. 976, *not. e.*

notis illustravit, et fabulis proxima ea quæ apud Hegesippum legimus, esse censet, tum denique Elias Dupin[1], et L. Cousin[2], Eusebianæ historiæ interpres, viri magis forsan eruditione quàm judicii modestia conspicui.

Ejus Patroni.

His autem non minori impetu adversatur, tota christiana antiquitas, quæ verissime sanctissimeque scripsisse Hegesippum, veluti facta conspiratione testatur; nec allegata jam a nobis, Eusebii, Hieronymi, Rufinique et aliorum testimonia recensere necesse est; his autem addam Epiphanium[3] qui certissimam Hegesippi narrationem habuit; tum Romanum martyrologium[4] quod ad Maii kalendas, eodem modo quo et vir sanctus, Jacobi mortem retulit.

[1] El. Dupin. *Biblioth. des auteurs ecclés.* (Paris, 1688), t. I, p. 165 et seq. Sic autem loquitur : « Le premier fragment tiré d'Hégésippe et rapporté par Eusèbe au livre II, c. XXXIII de son histoire, contient la narration du martyre de saint Jacques, évêque de Jérusalem; mais la manière dont il le rapporte approche plus de la fable que de l'histoire... Autant que nous pouvons juger de l'ouvrage d'Hégésippe par ce qui nous en reste, il était peu exact, et plus rempli d'histoires feintes et fabuleuses que de narrations solides et véritables. »

[2] Cousin. *Histoire ecclésiastique d'Eusèbe.* Préface, p. 14. Cujus hæc sunt verba : « Il y a beaucoup à redire au récit qu'Hégésippe a fait de la vie et de la mort de saint Jacques, et quand Eusèbe l'a inséré dans son histoire, il n'y a pas fait toute l'attention qu'il devait. »

[3] Epiph. *Hæres.*, LXXVIII.

[4] *Roman. martyrol.* ad diem 1am maii.

E recentioribus vero Baronium[1] adducam, « cujus « opus non minus docte quam fideliter scriptum, et « ad totius antiquitatis ecclesiasticæ notitiam com- « parandam valde utile, quo et ipsi apostolicarum « traditionum fontes purissimi aperiuntur » solemni laude Sixtus V, Pontifex-Maximus decoravit[2]; tum ex Anglicanis, Dodwellum[3] Pearsonium[4] Routhium[5], Grabium[6], aliosque non minimæ eruditionis viros. E Germanis vero quos per me vel per benevolentissimum amicum adire potui, ne unum quidem Hegesippianæ fidei infensum inveni. Satis vero sit, doctissimi Moelheri sententiam, quasi commune omnium compendium referre, qui in libro de sanctis Ecclesiæ patribus, in hunc fere modum loquitur[7]. « Les « anciens ont toujours parlé d'Hégésippe avec une « grande estime. La perte de son ouvrage doit nous « paraître d'autant plus regrettable qu'il eût été de la « plus grande utilité, non-seulement pour l'histoire « des temps les plus anciens de l'Église, mais encore « pour la tradition dogmatique de cette époque. » E nostratibus tandem Hegesippo favent, P. Halloix[8],

[1] Baron., t. I (Lucæ, 1738), p. 589 et seq.

[2] Baron. *Annales ecclés.*, t. II, Sixti V. Epist. approbat.

[3] Pearson. op. posth., p. 24.

[4] Routh. *Reliquiæ sacræ*, p. 187 et seq.

[5] Dodwell. *Dissertationes in Irenæum* passim.

[6] Grabius. *Spicileg. patr.*, t. II, p. 204.

[7] Mœlher. *Patrologie* (1840), p. 329.

[8] Halloixus. *Vit. script. eccl. orient.* Duaci, 1633, p. 697 et seq.

Cellerius[1], Cavius[2], Valesius[3], aliique quos singillatim recensendo nimis longus sim.

Diversa utriusque partis rationes sunt exponendæ.

Sed quantumvis numero judicioque insignes viros in gratiam utriusque opinionis adduxerim, res ipsas ponderare necesse est, et litis omne instrumentum diligenter scrutari. Licet igitur ultionem magis quam veritatem aspera partis utriusque maledicta velle videantur[4], præcipuas tamen eorum rationes, benignis auribus accipiamus; memores, ut Fabii verbis utar, supervacua cum tædio audiri, necessaria cum periculo subtrahi.

Fragmentum integrum de Jacobi passione.

En igitur totum illud quod apud nos in disceptationem venit, Hegesippi de Jacobi morte fragmen-

[1] Cellerius. *Bibl. des aut. sacrés.* (Paris, 1730), t. II, p. 100.

[2] Cavius. *Script. eccles. hist. litter.*, p. 44 (Colm. 1720).

[3] Valesius. Euseb. oper. Mogunt. *Animadvers.*, p. 39, 40.

[4] En leve quoddam amicorum verborum quibus utuntur Scaliger et P. Halloix specimen : « Scio (ait Scaliger) esse κακοήθεις, μισαλήθεις, cervicosos qui hæc tam crassa defendant, « propterea nos ea produximus, ut ab hujusmodi præposterorum patronorum maledica et virulenta contumacia caveatur « qui quum hæc legunt, si quidem intelligunt, lectores non admonent; si non intelligunt inique patiuntur ab iis moneri. » « Certè Scaliger, ait P. Halloix, tota in hac nostri Hegesippi cavillatione, non dicam inepte sed multo ineptissime cuncta sua « molitus est molimina, et tamen post omnem ineptiam audet « subjicere, tanquam frontis suæ nimis sane effrontis corollarium : « Scio esse κακοήθεις, etc., » sic ille, itaque ego ejus scriptis contra ipsum utens, admoneo ut a maledica et virulenta « Scaligeri contumelia, quæ multis se prodit in locis, caveatur, et « auctores sacri, quantum est in nostrum unoquoque virium, « contra istum κακοήθη καὶ μισαλήθη et cervicosum fortiter propugnentur. »

tum : « Ecclesiæ administrationem una cum apos-
« tolis suscepit Jacobus frater Domini, qui jam inde
« a Christi temporibus ad nostram usque ætatem,
« justus cognominatus est, nam multi quidem eodem
« nomine Jacobi vocabantur, sed hic ab ipso matris
« utero sanctus fuit. Nec vinum unquam bibit nec
« siceram; ab animantium carnibus penitus absti-
« nuit. Comam nunquam totondit, neque ungi ne-
« que lavari balneo corpus unquam solitus, unus ex
« omnibus intimum templi sanctuarium ingrediendi
« jus facultatemque habebat, neque (enim) lanicio
« sed linea tantum veste utebatur. In templum solus
« intrare, atque ibi genibus flexis, pro peccatis po-
« puli supplex Deum orare consueverat, adeo ut
« genua ipsius, instar cameli occalluerint, dum assi-
« due Deum venerans, et pro salute populi vota
« faciens humi sterneretur. Hic ergo propter singu-
« larem justitiam cognominatus est Justus et Oblias,
« quod latine munimentum populi et justitiam signi-
« ficat, quemadmodum etiam prophetæ de eo præ-
« dixerunt quidam autem ex septem sectis quæ apud
« Judæos erant, de quibus in superioribus libris
« scripsisse meminimus, interrogarunt eum, quod-
« nam esset ostium Jesu. Quibus ille Jesum esse ser-
« vatorem respondit. His auditis, nonnulli eorum
« Jesum revera Christum esse crediderunt. Supra-
« scriptæ vero sectæ nec resurrectionem, nec futu-
« rum Christi adventum, ut unicuique pro meritis
« mercedem tribuat, credebant. Quotquot vero ex

« iis crediderunt, Jacobi opera ac ministerio utique
« crediderunt. Quum ergo multi ex ipsis etiam pri-
« moribus crederent, tumultuari cœperunt Judæi et
« scribæ ac Pharisæi; eo jam ventum esse clamantes
« ut prope omnis populus Jesum quasi Christum
« exspectaret. Proinde in unum congregati Jacobum
« adeunt hisque eum verbis compellant. « Hortamur
« te, inquiunt, ut populi errorem comprimas, qui
« falsam de Jesu opinionem imbibit, perinde quasi
« Christus esset. Persuade igitur omnibus qui festo
« Paschæ die huc conveniunt, ut de Jesu recte sen-
« tiant, tibi enim omnes fidem habemus, et cum
« universo populo hoc tibi testimonium perhibe-
« mus, justissimum te virum esse, nec ullum apud
« te personarum discrimen valere. Proinde plebi
« persuade, ne circa Jesum deinceps aberret, nam
« et universus populus et nos libenter tibi obtem-
« peramus. Ascende igitur in fastigium templi; ut
« in sublimi loco positus, ab omnibus conspici et
« exaudiri facile possis. Nam Paschalis solemnitatis
« gratia, cunctæ Judæorum tribus et ex gentibus
« non pauci huc convenerunt. » Posthæc supradicti
« scribæ et Pharisæi quum Jacobum in fastigio tem-
« pli collocassent, contenta voce sic eum alloqui
« cœperunt : « O juste cui nos omnes fidem adhibere
« par est, quandoquidem populus omnis errat, Jesum
« sectans crucifixum, doce nos quod sit ostium Jesu
« suffixi cruci. » Tunc Jacobus edita voce iis respon-
« dit : « Quid me, inquit, interrogatis de Jesu filio ho-

« minis? Ipse sedet in cœlo a dextris summæ virtutis,
« et venturus est in nubibus cœli.» Cumque multi hoc
« Jacobi testimonio confirmati glorificarent Jesum,
« dicentes : Osanna filio David! tunc iidem scribæ et
« Pharisæi inter se collocuti. Male, inquiunt, feci-
« mus qui tanto testimonio Jesum oneravimus.
« Verum ascendamus, eumque præcipitem dejicia-
« mus, ut cæteri conterriti fidem illi habere desinant.
« Conclamare deinde cœperunt ac dicere : « O,
« ipse etiam justus erravit, et impleta sunt ea quæ
« apud Esaiam scripta sunt; tollamus e medio jus-
« tum, quia molestus est nobis, propterea fructum
« operum suorum manducabunt. » Mox ergo con-
« scendentes eum præcipitem egerunt. Et quoniam
« præcipitatus non statim mortem obierat, sed con-
« versus flexis genibus orabat dicens : « Domine et
« Deus pater, rogo ut ignoscas illis, quia nesciunt
« quid faciunt, » illi inter se dixerunt : Lapidemus
« Jacobum justum. Cœperunt igitur lapidibus eum
« impetere. Quumque hominem saxis obruerent,
« unus e sacerdotibus, ex filiis Rechab filii Rechabim
« qui Jeremiæ suffragio commendati sunt, contenta
« voce : « Parcite, inquit; quid facitis? Justus orat
« pro vobis.» Interim unus ex iis fullo, arrepto fuste
« quo vestes exprimere solebat, caput justi percus-
« sit. Atque ita felici martyrio vitam finiit. Sepultus
« est eodem in loco, manetque adhuc cippus illius
« prope templum. Hic Jacobus tum Judæis tum
« græcis locuples fuit testis, Jesum vere Christum

« fuisse. Nec multo post obsidio Vespasiani, et Ju« dæorum captivitas subsecuta est [1]. »

Reprehensiones in quas incidit fragmentum illud.

Caninis, ut sic dixerim, dentibus singulas pene hujus historiæ syllabas morsicant Scaliger et Dupinius, quorum præcipua singillatim argumenta resumentes, quid de illis sentiendum sit, paucis aperiemus.

Incredibile in primis arbitrantur, uni Jacobo in sancta(εἰς τὰ ἅγια) ingredi licuisse [2]. Sancta verò pro Sanctis sanctorum assumunt et frustrà contendunt in ea uni summo pontifici, idque semel in anno, ingredi concessum fuisse; in Sanctis enim quotidie sacerdotes ministrabant [3].

Uni autem Jacobo in Sancta ingredi licuisse, licet nusquam Levitico ordine exstiterit, *orandi non sacrificandi* causa, ob ejus sanctitatem, quid mirum? Illud quoque sic ab antiquis intellectum et creditum fuisse, comprobat Remensis ecclesiæ codex a Ruynarto [4], in Actis martyrum sinceris allegatus; proindeque salvo sacerdotum jure, Hegesippo fidem concedere licet.

De verbis proxime sequentibus : « neque enim lanicio, sed linea veste utebatur, » calumniantem Scaligerum [5], audiamus : « Alludit (Hegesippus) ad locum Ezechielis XLIX, 17, ubi depositis laneis vestibus, lineas assumere sacerdo-

[1] Infra, p. 54.

[2] Scaliger. *Anim. Euseb.*, p. 178. Dupin. *Aut. sacr.*, t. I, 165.

[3] Routh. *Relliquiæ sacræ*, p. 214. Epist. B. Pauli ad Hebræos, c. IX, 6.

[4] Ruyn. *Act. mart. sincer.* Edit. Amstel., p. 4.

[5] Scaliger. *Animadv. Eusebian.*, p. 178.

tibus præcipitur, quum ad functiones templi accingerentur.... alioqui extra templum cultu vestis non differebant, atqui iste Hegesippus, ait lineam, sive sacerdotalem vestem, laneam autem nunquam gestasse, *propterea quod erat sacerdos.* » Viden' quam acri stylo aerem verberet, vir eruditus, nam nullibi apud Hegesippum sacerdotem fuisse Jacobum legerat. Quid quod amanuensis errore corruptum quem reprehendit locum apparet, et τὸ γάρ male hic reponi, quum nulla sit cum præcedentibus connexio.

Prætermitto cæteras, de judaicarum sectarum adversus christianam religionem consilio, cavillationes; incredibile enim quibusdam[1] videtur, quod Jacobum ipsum hortentur Pharisæi, ut populi errorem comprimat, cui ipse dederat ortum, ejus sanctitatem justitiam integrumque judicium laudibus extollentes, nec vel minime suspicari videantur, illum totius esse mali auctorem.

Parum abest quin hæc Hegesippiana abjiciendo, ipsa Christi Evangelia, ut absurda traducant, quæ simillima de Divino Servatore narrant. Nemo est enim qui eadem fere loquentes apud sacras scripturas Pharisæos non audiverit[2].

Pergit autem Scaliger[3], et omnes tribus et gentiles die paschatis Jerosolymæ convenisse negat;

[1] Tillemont. *Mem. Hist. eccl.*, t. I, not. in S. Jacob. c. XVIII.
[2] Matth., c. XXII, 16.
[3] Scaliger. *Animadversiones Eusebian.*, p. 178.

quum duæ tantum tribus essent Benjamin et Juda, « ut et pueri sciunt, » ait, prætereaque nemo unquam, eodem auctore, vel fando accepit, vel legendo didicit, gentes die Azymorum Jerosolymæ solitas convenire.

Hæc Josephus; sed P. Halloix[1], Valesius[2], Tillemontius, ac tot alii, ne minimam quidem ex tanta machina partem, stare permiserunt; nam infra pueros ponit calumniator acerrimus, tum Jacobum ipsum, de quo tamdiu cum Hegesippo loquimur, qui epistolam suam *ad duodecim tribus quæ sunt in dispersione* mittit[3], tum et Paulum apostolum, qui contra Scaligerum et contra id quod pueri sciunt, ut P. Halloix verbis utar, de duodecim etiam suo tempore tribubus loquitur: « et nunc in spe, inquit, quæ ad patres nostros repromissio facta est a Deo, sto judicio subjectus, in quam *duodecim tribus nostræ*, nocte ac die deservientes, sperant devenire. »

Gentes autem Jerosolymam, die Paschæ, ascendisse, luce meridiana clarius est, ex capite Joannis duodecimo, v. 20, ubi gentiles orationis gratia, ascendisse legitur, et erat tunc pascha Judæorum: « erant autem, ait Joannes, quidam gentiles ex his qui ascenderant in die festo ut adorarent. Hi

[1] Halloix. *Vitæ scriptor. eccles. orient.* Duaci, 1633, t. II, p. 725-26.
[2] Vales. *Animadvers. in Eusebium*, p. 39, 40.
[3] Jacob. *Epist. cathol.*, c. I, p. 1.

ergo accesserunt ad Philippum qui erat a Bethsaide Galileæ, et rogabant eum dicentes : « Domine, volumus Jesum videre. »

Non Scaligero tamen Hegesippum impugnandi finis est : « Ascendit, ipsa sunt viri doctissimi verba[1], in πτερύγιον templi (Jacobus) quasi illic facilis ascensus esset; certe qui tam desperatæ audaciæ esset, ut illic ascenderet, poterat dicere, ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε, quemadmodum de iis dicebatur qui flectebant Maleam promontorium, « qui flectit « Maleam obliviscatur reditus in patriam, » quod « totum fastigium templi erat consitum verubus ferreis, ut ne aves quidem, ibi possent consistere. »

Facete quidem, sed ἀτόπως : nam pro ipsa templi pinna in acumen exeunte non sumendum est τὸ πτερύγιον; siquidem insaniret auctor qui tam absurda proferret, nec illud Eusebium, Hieronymumque latuisset, viros judaicarum rerum haud ignaros. Sit igitur πτερύγιον, ut vult Fabricius[2], circuitio in parte quadam submissiore templi. Huic autem facilem ascensum fuisse quis facile non credet?

Denique « concionanti Jacobo ex πτερυγίῳ, ait Scaliger[3], populus acclamat Osanna filio David, quasi in omni loco et in omni plausu Osanna acclamaretur. Semel in scenopegia acclamabant, ac-

[1] Scaliger. *Animadvers. Eusebian.*, p. 178.
[2] Fabric. ap. Bonth. *Relliq. sacr.*, t. I, p. 219.
[3] Scaliger. *Animadvers. Eusebian.*, p. 178.

clamantque hodie Judæi, » — « et ego contra, jure subdit P. Halloix[1], quasi Osanna non acclamaretur, in omni loco et in omni plausu, si ita placeret acclamatoribus, quis enim prohibuit, ne quis quum vellet Osanna acclamaret? »

Quibusdam etiam incredibile est quod Scribæ et Pharisæi templum violare non veriti sint, humanam cædem ex ejus πτερυγίῳ patrantes. Sed quid non « mortalia pectora cogit » penitus exsecranda sectarum superstitio? Nimirum, ut ipse aiebat Christus, obsequium se præstare Deo arbitrantur, quicumque insano ducti furore, alterius religionis asseclas aut præcones suppliciis afficiunt.

Exstat vero apud Josephi *Judaicas Antiquitates*, Jacobi passionis historia, ab hegesippiana prorsus dissimilis[2]. Multis quoque veracior videtur auctor judæus, ipsis temporibus florens quibus res illæ peractæ sunt. Sed et a multo pluribus, vel spurius Josephi locus et ideo abjudicandus[3], vel ipse in multis

[1] Halloix, *Vitæ script. Eccles. orient.*, t. II, p. 727.

[2] « Junior autem Ananus, is quem nunc summum pontificatum accepisse diximus, audax erat et ferox ingenio, secta sadducæus, quod hominum genus in judicando est severissimus, ut ante diximus, talis igitur quum esset, tempus opportunum se nactum ratus, mortuo Festo, Albino adhuc agente in itinere, concilium judicum advocat, statutumque coram eo fratrem Jesu Christi, Jacobum nomine et una quosdam alios, reos impietatis peractos lapidandos tradidit, quod factum in ea civitate bonis et legum studiosis, vehementer displicuit. » Joseph. *Antiq. Jud.*, lib. XX, c. VIII.

[3] Clericus. *Art. crit.*, p. 111, sect. I, c. XV.

sibi fidem adimens[1], vel denique non adeo ab Hegesippiano alienus ut cum illo non possit conciliari, censetur[2]. His autem diutius non immorabimur.

De alio fragmento disceptatio brevis.

En igitur quasi breve quoddam totius, ut sic dixerim, belli compendium, cujus ad enodandas difficultates variorum auctorum auxilio usi sumus, rati nimirum, ut Fabii verbis utamur, reperto quod est optimum qui quærit aliud pejus velle. Nunc vero longius procedendum; et alias quæ de Judæ nepotibus, ab eodem Scaligero colliguntur, obscuritatum ambages elucidare necesse est[3].

« Omnem admirationem superat, ait *Eusebianarum animadversionum* auctor, posteritatem Davidis ad duos tantum redactam fuisse, et quod cum omni historia pugnat, nullam posteritatem Davidis sub Domitiano fuisse nisi eos qui a Juda fratre Domini, siquidem ullus fuit, orti erant, nam numero-

[1] Havercampus, *Oper. Josephi*, t. I, p. 976, not. i.

[2] Cave, *Hist. littér.*, p. 10.

[3] Hegesippi verba hæc sunt : « His temporibus adhuc supererant quidam ex cognatione Christi, nepotes Judæ illius qui secundum carnem frater Christi vocabatur, hos a nonnullis delatos quod ex regia Davidis stirpe prognati essent, Evocatus ad Domitianum perduxit ; quippe *Domitianus de adventu Christi perinde ac Herodes sibi metuebat*. Interrogati igitur ab illo utrum ex stirpe Davidis essent oriundi, id verissimum esse confessi sunt. Deinde sciscitatus est ex illis Domitianus, quantas possessiones, quantumve pecuniæ haberent, illi vero novem tantummodo denariorum millia sibi ambobus suppetere dixerunt, quorum dimidia pars singulis competeret; eas vero facultates, nequaquam se in argento habere, sed in æstimatione agrorum novem scilicet ac triginta soli jugerum, etc »

sissima fuit semper posteritas David, ex qua alii æchmalotarchæ, alii principes erant.... vides qua fiducia et intra duos homines tam numerosum genus cogere, et a Juda fratre Domini, qui nunquam fuit, illud deducere voluerit Hegesippus iste[1]. »

Id autem unum me videre fateor, qua nimirum fiducia, falsa jactitet, vir eruditissimus. Nam ἀπογόνους Judæ qui erat frater Domini (hoc sume pro Christi consobrino, e consueto Scripturarum sacrarum loquendi modo), minimeque Davidis posteros, ad duos tantum homines, tunc esse redactos dicit Hegesippus. Judam autem Domini fratrem aliquando extitisse contra Scaligerum testatur evangelicæ historiæ scriptor Matthæus[2] apostolus : « Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus et Joseph et Simon et *Judas ?* » Cui suffragatur Marcus Petri auditor.

Quidam apud Hegesippi fragmenta errores.

Non equidem sum nescius, in alias quoque reprehensiones Hegesippi opus incidisse, sed illas apud Scaligerum, Dupinium[3] aliosque ejusdem notæ scriptores, ut plerumque acerbissimas, ita et vanas censeo. Non negabo tamen, multa abstrusiora et difficiliora, tum quædam a veritate leviter aliena, vel saltem illi absimilia in ejus scriptis occurrere, ad quæ velut ad scopulum lectoris animus offendit,

[1] Scaliger. *Animadvers. Eusebian.*, p. 178-79-189, 90. Dupin. *Bibl. des auteurs sacrés*, t. I, p. 165, 67, 69.

[2] Scaliger., p. 190. *Eusebian. animadvers.*

[3] Matth., c. xiii, p. 55.

ut acerrimis etiam Hegesippi patronis visum est.

Fatebor igitur mihi absonum videri, quod de Jacobi Cippo usque ad Hegesippi tempora manente sub finem secundæ ῥήσεως legitur[1]. Nam et urbs tota a Romanis jam diu fuerat excisa, et multo minus juxta Judæorum templum ubi occisus fuit Jacobus, remansisse ejus tumulum facile crediderim, nam, ut ait Valesius, in Eusebianis animadversionibus, Judæi corpora condebant extra urbem, ut colligere est tum ex Evangelio, tum ex sepulcro Helenæ Adiabenorum reginæ[2]. Isthæc de Jacobi sepultura Grabio[3] quoque vero absimilia videntur, nisi sit forte dicendum, Christianos aliquanto post Hierosolymitanum excidium, ibi Jacobi corpus sepelivisse, ubi martyrio defunctum erat. Sed hæc Hegesippus sic intelligi non patitur. De Jacobi Cippo.

Nec magis faveo Tillemontii[4] conjecturæ, cui res ita se habere videtur, ut quum situm fuerit templum ad extremum limitem urbis et ab illo latere Josaphati valli superemineret, ex hac parte dejectus, fuisse credatur apostolus, atque idcirco extra urbem et sepultus; jam nihil obstare quin sepulcrum ejus usque ad Hegesippi tempora permanere atque ab historico invisi potuerit. Josephi[5] enim

[1] Vid. infra., p. 93.
[2] Valesius, *Animadvers. in Euseb.*, p. 41.
[3] Grab. *Spicil. Patr.*, ap. Routh. *Relliquiæ sacræ*, p. 226.
[4] Tillem. ap. Routh. *Relliquiæ sacræ*, p. 226.
[5] Joseph. *Antiquitat. Judaic.*, lib. XV, c. XIV. Edit. Genevæ, 1633, p. 545.

testimonium horum veritati obstat, cujus hæc sunt verba : « Ibi spectaculum erat si ullum aliud sub « sole memorabile. Nam cum vallis in immensum de- « hisceret, ita ut caligarent despicientium oculi, de- « super exstructa erat præalta porticus cujus tecto « conscenso, si quis utramque altitudinem conjunc- « tam contemplaretur, absque vertigine id non « poterat, visu deficiente ob nimiam profunditatem, « priusquam ad imum pertingeret. » Ἔργον δὲ ἦν ἀξιαφηγητοτάτων τῶν ὑφ᾽ ἡλίῳ. μεγάλου γὰρ ὄντος τοῦ τῆς φάραγγος ἀναλήμματος, καὶ οὐδ᾽ ἀνέκτου κατιδεῖν εἴ τις ἄνωθεν εἰς τὸν βύθον εἰσκύπτοι παμμέγεθες ὕψος ἐν αὐτῷ τὸ τῆς στοᾶς ἀνέστηκεν, ὡς εἴ τις ἀπ᾽ ἄκρου τοῦ ταυτῆς τέγους ἄμφω συντιθεὶς τὰ βάθη διοπτεύοι σκοτιδιανᾷν, οὐκ ἐξικουμενῆς τῆς ὄψεως εἰς ἀμέτρητον τὸν βύθον. In porticus igitur tectum incidisse Jacobum necesse esset, aut si « in gradus qui, Josepho teste[1], usque « ad imam vallem disponebantur, » præceps laberetur, incredibile mihi esset, eum flexis geniculis Deum exorare potuisse ; si quidem omnino fracta fuisse tam horrendo casu membra non dubitandum est.

His adde quod aliquatenus dissimilia tradat Hieronymus[2]. « Titulum usque ad obsidionem Titi et ultimam Adriani notissimum habuit (Jacobus). Quidam e nostris in monte Oliveti eum putaverunt conditum. » Fidem igitur Hegesippianæ nar-

[1] Joseph. Oper. Edit. Genevæ, 1637, p. 545.
[2] Hieron., *de Viris illust.*, c. II.

rationi neque dantes, neque omnino denegantes, aliorum auctorum testimoniis carere dolemus, quæ vel aperti erroris vel perspicuæ veritatis præbeant indicia.

Fatendum etiam, quod salva antiquissimi auctoris fama, dixerim, Petavio, P. Halloix, cæterisque fere quotquot sunt Hegesippi patronis, fabulosum nescio quem vultum videri præ se ferre omnem illam de Jacobi morte narrationem. Illud autem non aliter evenisse censeo, quam quod ipse orali, ut aiunt, traditione totam hanc historiam excipiens, in multis, ut mos est, varie depictam, litteris mandavit.

De Christi adventu quem metuebat Domitianus.

Sed et alia sunt quibus fidem difficile adhibebimus: nempe « *de Christi adventu perinde ac Herodem sibi Domitianum metuisse*[1]. Scio equidem ab Eusebio[2] memoriæ proditum esse, Vespasianum adversus Davidis posteros gravissimam persecutionem movisse, sed, ut ipse Eusebius ait, illos capite damnari jussit, ne quisquam apud Judæos e regia tribu superesset, indeque tumultuandi ac rebellandi occasionem Judæi arriperent.

Quid vero sibi de Christi adventu metueret Domitianus? Nonne Divinum Servatorem Tiberii Cæsaris temporibus cruci affixum, ipsæ Pilati litteræ, quæ publicis inerant, auctore Tertulliano[3], senatus archivis, testabantur. Quid inter Herodem

[1] Vid. infr., p. 94, lib. I et II.

[2] Euseb. *Hist. eccles.*, lib. III, c. XII, p. 87.

[3] Tertull. *Apologet.*, c. XXI, ap. Celler., t. I, p. 495.

magos accipientem, de rege novo Judæorum interrogantes et Domitianum totius imperii Dominum, Romanorumque principem, apud quos quam viles Christi disciPuli, nemo est qui nesciat : « quos, « ut Taciti verbis utar[1], per flagitia invisos, vulgus « christianos appellabat, quorum auctor Christus « Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium « Pilatum supplicio affectus erat. » Unde igitur Domitiano de Christi adventu timor. Nonne hæc omnia, a romanorum studiis penitus aliena videantur ?

De primis ecclesiæ hæreticis.

Nec magis mihi placet, quod in illa de Simeonis Cleophæ martyrio ῥήσει, ait[2] vir sanctus : « et Ecclesiam quidem hactenus vocabant virginem, quod vanis sermonibus nondum corrupta fuerat. Primus Thebutis indigne ferens quod minime creatus esset episcopus, eam occulte vitiare aggressus est. »

Hæc enim ad Trajani vel ad summum ad Vespasiani tempora refert Hegesippus. Quis vero nesciat ipsis apostolorum diebus αἱρέσεων auctores extitisse? Locupletissimos hujus rei simul et invictos testes habemus, præter Hieronymum, qui ait : « adhuc apud Judæam Christi sanguine recenti, phantasma Domini corpus assertum fuisse[3], » ipsos evangelicæ doctrinæ præcones. Ut enim Simonem illum magum omnium hereticorum antesignanum sileam, de aliis

[1] Tacit. *Annal.*, lib. XV, c. XLIV.
[2] Vid. infr., p. 98.
[3] Hieron. *advers. Luciferian.*, lib. in finem.

quibusdam errorum doctoribus, Paulus ipse[1] loquitur: « Bonam conscientiam repellentes, in fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymenæus et Alexander, quos tradidi Satanæ ut discant non blasphemare. » Et rursus[2]: « Sermo eorum ut cancer serpit, ex quibus est Hymenæus et Philetus, dicentes resurrectionem esse jam factam et subverterunt quorumdam fidem. » Et Joannes[3] eadem in Epistolis testatur : « Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum in carne venisse. » Memoria igitur lapsum esse Hegesippum necesse est, quum hæreticorum primum eadem ῥήσει Thebutin dixerit.

De sectis Judæorum.

Sileo quod in fragmentis de sectis Judæorum, quædam cum aliorum ecclesiasticæ vetustatis scriptorum testimoniis pugnantia reperiantur[4], deinde quod Hegesippus tribum Judæ ab his omnibus Judaici populi sectis puram ac vacuam existimet. Licet ea ipsi Hegesippi patrono Valesio[5], non sint verisimilia. Cæteri enim ecclesiæ scriptores, non magis inter se quam cum Hegesippo, de re illa videntur concordare[6].

Quid mihi de Hegesippi historia sentiendum videatur.

His igitur argumentis partim aliunde ascitis, partim etiam novis finem facturus, dicam tandem ipse

[1] Timoth., I, 20.
[2] Paul. I Timoth., II, 16-17.
[3] Joan. I Epist. II, 18.
[4] Vid. infr., p. 87, 98.
[5] Vales. *Animadvers. Eusebian.*, p. 79, 80.
[6] Vales. *Animadvers. Eusebian.*, p. 80.

quod de Hegesippi fide sentiendum putem, media, ut sic dixerim, via ab illo disputantium æstu insistens; nam hæc moderatio alibi peropportuna, hic ubi de antiquissimo ecclesiasticæ scriptore agitur, quam maxime videtur necessaria.

Hegesippum igitur nusquam extitisse, vel ea quæ apud Eusebium illius nomine signata legimus, non scripsisse, etsi quidam in dubium vocare ex industria voluerint, vix quisquam sanæ mentis audeat asserere. Nec magis fraudis suspicionem in eum antiquissimum scriptorem cadere patiar. Nec, si pati vellem, tum aureus ille qui in ejus scriptis lucet et inaffectus candor, tum purissimæ virtutis fama, quæ illum sanctorum tabulis adscripsit; tum denique Eusebii, Hieronymi, aliorumque quotquot sunt ecclesiasticæ historiæ scriptorum testimonia sinerent, quæ sanctissimum accuratissimumque in scribendis Ecclesiæ rebus ejus studium collaudant. His adde quod e protestantium numero omnes propemodum auctores, Hegesippianam fidem plurimi faciant.

In errorem vero aliquando venisse Hegesippum, ut ab homine nil mireris, ita mihi fateri non difficile est. Quædam enim in ejus fragmentis explicatu difficilia vidimus, quæ partim vitiatis et injuria temporum corruptis codicibus ascribenda, partim nimis credulo illius ætatis ingenio, quod et celeberrimos civilium rerum scriptores invaserat, et aliquando ecclesiasticis etiam auctoribus non pepercisse dolendum est. Nec ideo tamen tot cla-

rum titulis virum, tum ipsa antiquitate venerandum, abjudicandum censeo, nec illæ quæ in ejus scriptis mendæ, velut canitiei rugæ, occurrunt, illius auctoritatem omnino abrogare debent.

Tillemontii verba de Hegesippo.

Hæc quidem jam perscripseram, quum in simile Tillemontii judicium incidi, quæ quum viri eruditissimi nomine, multum meis verbis pondus sint adjectura, hic ex integro referam. « Nous ne croyons point devoir violer, à l'égard d'un auteur si ancien et si bien autorisé, la règle que nous suivons de ne point abandonner les auteurs ou contemporains, ou qui sont assez proches des faits qu'ils rapportent, à moins que nous n'y soyons contraints par des raisons extrêmement fortes; ainsi, tout se réduit à savoir si l'on peut trouver quelques faussetés certaines dans ce que dit Hégésippe, mais quand il se trouverait même quelque particularité dont on ne pourrait pas rendre raison, il serait fâcheux de rejeter pour cela tout le reste, n'y ayant point d'auteur si certain et si exact où il ne se rencontre de semblables difficultés, souvent parce qu'ils ne rapportent que de certains faits séparés les uns des autres, omettant ceux qui les lient et qui en feraient voir la possibilité ou la probabilité. » Hæc materna lingua, a qua tamdiu exulasse non sine molestia aut periculo est, retulisse liceat.

CAPUT III.

DE SCRIPTIS QUÆ HEGESIPPO TEMERE ASCRIBUNTUR.

Hactenus de sinceris Hegesippi operibus, pro virium nostrarum captu, egimus; nunc autem, ut in proœmio dictum est, ad ea devenimus quæ sub illius auctoris nomine, in lucem prodiere. Ex iis autem præter duo breviora fragmenta, nullum novi nisi quinque de Excidio hierosolymitano libros.

Justini verba Hegesippo tributa.

Hæc enim in Bedæ et Adonis martyrologiis ad diem septimum Aprilis jam legimus : « Illud quoque Hegesippus in libris suis refert de conversatione sua quam habuit in gentili philosophia : nam et ego ipse, ait, sectis platonicis institutus, audiens infamari christianos et videns eos impavidos ad suscipiendam mortem atque omne supplicium tolerandum, considerabam quod impossibile esset in malitia eos et in libidine conversari. »

Illa autem verba perperam Hegesippo ascribuntur, nam a Justino philosopho prolata sunt, in apologia posteriore[1], et apud Eusebium[2] exstant, eidem martyri tributa.

[1] Justin. *Apolog.* ap. Euseb. *Hist. eccles.*, lib. IV, c. VIII, p. 122.

[2] Euseb. *Hist. eccles.*, lib. IV, c. VIII, p. 122.

Alterum ex his fragmentis, viro sancto temere tributis, in epistola Petri de Marca[1] Tolosani archiepiscopi ad Henricum Valesium Eusebii interpretem reperias. Doctissimus enim præsul, docet B. Lucam a Pauli comitatu discedentem, magistri sui mandato in Galliam se contulisse, ubi præcipuum fidei prædicandæ studium impendit. Auctorem hujus narrationis Epiphanium appellat vir eruditus, qui Hæresi LI illud de B. Luca testatur, tum ex Hegesippo suam narrationem petivisse Epiphanium asserit, nullum prorsus hujus rei vel levissimum præbens argumentum[2].

Epiphani verba Hegesippo tributa.

His igitur prætermissis, ad illos quinque de excidio hierosolymitano libros, ab Hegesippo quodam, vel potius Joseppo, conscriptos transeundum, quos Joannes Trithemius[3], Sixtus Senensis[4] aliique ascribere apostolico viro non dubitarunt : « Egesippus genere Judæus, ait Senensis, vita et sermone simplex, redegit ad formam Græcæ historiæ, brevi ac simplici stylo, omnes hierosolymitani regni actiones quatuor libris regum comprehensas, usque ad captivitatem Judæorum, murique excidium et Baby-

Quinque libri de Hierosolymitano excidio falso Hegesippo tributi.

[1] Euseb. Oper. Epist. Petr. de Marca. archiep. Tolos. ad Vales., p. 2.

[2] Euseb. *Hæres.*, p. 51.

[3] Trithem. *De scriptor. eccles.*, ap. *Biblioth. patr.*, p. 1124.

[4] Sixt. Sen. *Bibliothec. sanct.*, lib. IV. Halloix, p. 720. His addendi Petrus de Natalibus. (*Catal. de script. ecclesias.*, lib. IV, c. XXXVI), qui unum tantum fuisse Hegesippum contendit operis utriusque auctorem, et alii plurimi.

lonis triumphos, cujus ipse laboris meminit in præfatione quinque librorum *De excidio hierosolymitanæ urbis* qui nunc exstant : floruit vicinus apostolicorum temporum, pervenitque usque ad Antoninum Pium anno Domini CLX. » Cui Joannes Trithemius in libro de Scriptoribus ecclesiasticis[1] consonat : « Egesippus natione Judæus, ad fidem Christi conversus, doctrina et sanctitate in ecclesia Christi admirabilis effulsit, cujus festum cum cæteris sanctis in martyrologio locum obtinuit; scripsit nonnulla excellentis ingenii opuscula, de quibus ego tantum reperi a tempore Dominicæ passionis usque ad suam ætatem opus insigne, historiam ecclesiasticorum actuum, libris quinque, cujus initium *bello parthico,* etc., aliud operum ejus nullum vidi; claruit vicinus apostolicorum temporum sub Antonino Pio anno Domini CLX. »

Eorum qui libros illos Hegesippo tribuant, error multiplex.

Sed quam multimode fallantur viri docti nemo est qui non videat. In primis autem quod usque ad annum Christi CLX Hegesippum tantummodo pervenisse dicunt, quum ex Alexandrino chronico[2], et quæ supersunt fragmentis[3] illum viginti amplius annos vixisse certum sit; sed et perperam quinque de Excidio hierosolymitano libros cum quinque libris Ecclesiasticorum actuum confundunt.

[1] Trithem. *De scriptor. eccles.* apud *Biblioth. patr.* Margarini. Labigne. Lugd. 1677, p. 1124.
[2] Vide sup., p. 23.
[3] Vide infr., p. 100.

Nam, ut illorum errorem diluamus, certum est de Excidio Hierosolymitanæ urbis libros, eosdem non esse quos toties allegavit Eusebius. Revolvantur enim licet, sus deque vertantur libri quos Senensis cæterique proferunt, ne unum quidem in eis verbum invenies quod Hegesippianæ historiæ fragmentis consonet. Accedit quod ἐκκλησιαστικῶν πράξεων ὑπομνήματα a passione Domini usque ad Hegesippi tempora christianam historiam referrent[1], illi vero libri Judæorum annales tradant[2]: jam, quum Eusebius, Hieronymusque Hegesippum simplici stylo scripsisse dicant, auctor illius operis, quisquis tandem ille sit, grandi, operoso, ac pene affectato dicendi genere utitur[3].

Nec verius dicas, idem opus, ab illo quod Eusebius memorat sane diversum, eumdem tamen auctorem Hegesippum habuisse; nam ætate quoque posteriorem se esse prodit, Excidii Hierosolymitani auctor. Meminit enim Constantinopolis[4] quam æqualem Romæ habet, quod primum ut Barrensis animadvertit, in concilio Constantinopolitano, Gratiano et Theodosio imperantibus, factum legimus[5].

Sequitur quod non Græcum sed Latinum scrip-

[1] Vid. sup., p. 29.
[2] Vid. *Bibliot. Patr.* Margarini Labigne. Lugduni, 1677, p. 1123, 1214.
[3] Laurentius Barrensis. *Biblioth. Patr.* Lugdun., 1677, p. 1123.
[4] *De excidio Hieros.*, lib. III, p. 1163. *Bibl. Patr.*
[5] Laur. Barr. *Biblioth. Patr.*, p. 1123.

torem ostendunt, gravissimi quos in orientalibus Græcorum nominibus admisit errores. Hæc enim libro tertio ejusdem operis[1] legimus : « Fluvius « eam (Antiochiam) medius intersecat, qui à solis « ortu oriens, non longe ab urbe in mare con- « ditur, quem, *de originis suæ tractu, Orientem* ve- « teres appellavere, ut vulgo putetur locis nomen « dedisse, quum inde acceperit; cujus fluentis ipso « impetu frigidioribus, et zephyris assiduo per ea « locorum spirantibus, tota civitas continuo refri- « geratur, ut orientis in partibus, orientem ab- « scondat. » Nusquam enim tales nugas ausus fuisset Græcus auctor scribere. Neque aliter sentit Vossius[2] : « Hegesippus cujus libros quinque habemus de Bello Judaico et Jerosolymorum Excidio latinus mihi scriptor videtur, non e græco versus, nam græce si unquam scripsisset, aliquis Græcorum ejus meminisset, quare quod a B. Ambrosio translatum dicunt, id totum commentitium est. »

Vossii sententia de illis libris.

Quo autem tempore fuerit exaratum opus illud, vel cui tribuendum auctori,

Grammatici certant et adhuc sub judice lis est.

Mabilonii sententia.

Vossius illud vult sexcentis et fortasse amplius annis Ambrosio recentius. Mabilonius[3] autem ab eo dissentit, in Itinere quod dicitur Italico. « Unum addere

[1] *De excidio Hieros., Biblioth.*, p. 1163.

[2] Vossius. *de Histor. latin.* (Lugd. Batav., 1651), p. 706.

[3] Mabillon. *iter Italicum* (Luteciæ (sic) Parisiorum, 1687), p. 14.

« juvat, ait, de vulgatis quinque Hegesippi libris, ex « veterrimo codice qui in bibliotheca (Mediolanensi) « asservatur; primus liber initio mutilus, in fine hanc « clausulam habet : *Egesippi liber primus explicit*, « tum, *incipit secundus*, *Ambrosius episcopus de* « *græco transtulit in latinum*. Tres sequentes sine « titulo, sed in multis foliis libri quinti is apponi- « tur in capite paginarum : *Joseppi liber quintus*. « Fuerit ergo hic codex antiquissimus, litteris partim « langobardicis partim romanis majusculis scriptus, « alter ab Hegesippo, qui temporibus apostolorum « floruit, qui, ex Josepho forsan opus suum maxime « librum quintum compilavit, et quidem græce, si « *Ambrosius secundum e græco latine* reddidit; « quidquid autem sit, auctorem aut compilatorem « vixisse, non post Nicephorum Phocam impera- « torem hoc est post sæculum decimum, ut Miræus « et Vossius putant [1], sed ante sæculum septimum, « ex Ambrosiani itemque ex Taurinensis codicis an- « tiquitate facile demonstrari potest. »

Longius progreditur Cavius [2] eumque si non Ambrosio, Ambrosii saltem aquali adscribit idque ex ingenti styli Ambrosiani Hegesippianique paritate evincit. Eædem nempe, illo auctore, phrases utrique sunt frequentatæ, eædem verborum argutiæ in deliciis habitæ, quod sexcentis fere exemplis Joannes Gronovius comprobat.

[1] Vid. pag. præced.

[2] Cavius. *Hist. litterar.*, p. 169, 170.

Constat igitur, Cavio quidem teste, auctorem fuisse Ambrosio æqualem, et in finem quarto vergente sæculo floruisse. Stante enim adhuc apud occidentem imperio Romano vixisse, id sæpius ipso annuente certum est, nec dubium haberi potest quin post Constantini tempora floruerit, qui Constantinopolis *novæ Romæ* mentionem facit, et *Scotiæ Saxoniæque* provinciarum, jam *Gothorum Gallorumque* operi suo inseruit.

Quisquis tandem is fuerit auctor, certum est eum alienum esse ab Hegesippo nostro; atque adeo de illius opere, licet illud non contemnendum Lipsius[1] judicet, plura dicere supersedebimus[2].

Comprobatum igitur habemus, nisi nostro ipsi judicio nimium fallimur :

1° Ab Hegesippo qui revera secundo Christi sæculo exstitit, quinque Ecclesiasticorum actuum libros fuisse conscriptos, quorum sincera apud Eusebium legimus fragmenta.

2° Veterum scriptorum et recentiorum quorumdam testimoniis horum commentariorum fidem commendari.

3° Mendas quæ in his commentariis occurrunt,

[1] *De Excid. Hierosol.* ap. Guill. Cave, p. 170.
[2] Lips. in Tacit.

etsi eorum fidem minuant, eam tamen penitus, ut quidam volunt, non penitus abrogare.

4° Nullius, præter hos Commentarios, Hegesippiani operis fragmenta aut memoriam ad nos usque pervenisse.

FINIS.

APPENDIX

SINCERA HEGESIPPIANÆ

HISTORIÆ FRAGMENTA COMPLECTENS.

Hæc sincera Hegesippi fragmenta numero auctiora et meliori ordine digesta, ut disputationi tandem necessaria, hic subjecimus.

FRAGMENTUM I.

(Ex Eusebio, lib. IV *Histor.*, c. XXII.)

De diversis Judæorum sectis.

Ἠσαν δὲ γνῶμαι διάφοροι ἐν τῇ περιτομῇ ἐν υἱοῖς Ἰσραὴλ τῶν κατὰ τῆς φυλῆς Ἰούδα καὶ τοῦ Χριστοῦ αὗται· Ἐσσαῖοι· Γαλιλαῖοι· Ἡμεροβαπτισταί· Μασβωθαῖοι· Σαμαρεῖται· Σαδδουκαῖοι· Φαρισαῖοι.

FRAGMENTUM II.

(Ex Eusebio, lib. II *Histor.*, c. XXIII.)

De morte sancti Jacobi Justi primi Hierosolymitanorum episcopi.

Διαδέχεται δὲ τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν ἀποστόλων, ὁ ἀδελφὸς τοῦ Κυρίου Ἰάκωβος, ὁ ὀνομασθεὶς ὑπὸ πάντων δίκαιος ἀπὸ τῶν τοῦ Κυρίου χρόνων μέχρι καὶ ἡμῶν. Ἐπεὶ πολλοὶ Ἰάκωβοι ἐκαλοῦντο· οὗτος δὲ ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ ἅγιος ἦν. Οἶνον καὶ σίκερα οὐκ ἔπιεν, οὐδὲ ἔμψυχον ἔφαγε· ξυρὸν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ οὐκ ἀνέβη· ἔλαιον οὐκ ἠλείψατο καὶ βαλανείῳ οὐκ ἐχρήσατο. Τούτῳ μόνῳ ἐξῆν εἰς τὰ ἅγια εἰσιέναι. Οὐδὲ (γὰρ) ἐρεοῦν ἐφόρει, ἀλλὰ σινδόνας. Καὶ μόνος εἰσήρχετο εἰς τὸν ναόν· ηὑρίσκετό τε κείμενος ἐπὶ τοῖς γόνασι, καὶ αἰτούμενος ὑπὲρ τοῦ λαοῦ ἄφεσιν· ὡς ἀπεσκληκέναι τὰ γόνατα αὐτοῦ δίκην καμήλου, διὰ τὸ ἀεὶ κάμπτειν ἐπὶ γόνυ προσκυνοῦντα τῷ θεῷ, καὶ αἰτεῖσθαι

ἄφεσιν τῷ λαῷ. Διά γέτοι τὴν ὑπερβολὴν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐκαλεῖτο δίκαιος καὶ Ὠβλίας. Ὅ ἐστιν Ἑλληνιστὶ περιοχὴ τοῦ λαοῦ καὶ δικαιοσύνη. Ὡς οἱ προφῆται δηλοῦσι περὶ αὐτοῦ. Τινὲς οὖν τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων τῶν ἐν τῷ λαῷ, τῶν προγεγραμμένων μοι ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν, ἐπυνθάνοντο αὐτοῦ τίς ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ. Καὶ ἔλεγε τοῦτον εἶναι τὸν Σωτῆρα. Ἐξ ὧν τίνες ἐπίστευσαν, ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ Χριστός. Αἱ δὲ αἱρέσεις αἱ προειρημέναι οὐκ ἐπίστευον οὔτε ἀνάστασιν οὔτε ἐρχόμενον ἀποδοῦναι ἑκαστῷ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Ὅσοι δὲ καὶ ἐπίστευσαν, διὰ Ἰάκωβον. Πολλῶν οὖν καὶ τῶν ἀρχόντων πιστευόντων, ἦν θόρυβος τῶν Ἰουδαίων καὶ γραμματέων καὶ Φαρισαίων λεγόντων, ὅτι κινδυνεύει πᾶς ὁ λαὸς Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν προσδοκᾷν. Ἔλεγον οὖν συνελθόντες τῷ Ἰακώβῳ· παρακαλοῦμέν σε· ἐπίσχες τὸν λαόν, ἐπεὶ ἐπλανήθη εἰς Ἰησοῦν, ὡς αὐτοῦ ὄντος τοῦ Χριστοῦ, παρακαλοῦμέν σε πεῖσαι πάντας τοὺς ἐλθόντας εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ πάσχα περὶ Ἰησοῦ. Σοὶ γὰρ πάντες πειθόμεθα. Ἡμεῖς γὰρ μαρτυροῦμέν σοι καὶ πᾶς ὁ λαός, ὅτι δίκαιος εἶ, καὶ ὅτι πρόσωπον οὐ λαμβάνεις. Πεῖσον οὖν σὺ τὸν ὄχλον περὶ Ἰησοῦ μὴ πλανᾶσθαι. Καὶ γὰρ πᾶς ὁ λαὸς καὶ πάντες πειθόμεθά σοι. Στῆθι οὖν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, ἵνα ἄνωθεν ᾖς ἐπιφανής, καὶ ᾖ εὐάκουσά σου τὰ ῥήματα παντὶ τῷ λαῷ. Διὰ γὰρ τὸ πάσχα συνεληλύθασι πᾶσαι αἱ φύλαι μετὰ καὶ τῶν ἐθνῶν. Ἔστησαν οὖν οἱ προειρημένοι γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι τὸν Ἰάκωβον ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ναοῦ, καὶ ἔκραξαν αὐτῷ καὶ εἶπον· δίκαιε ᾧ πάντες πείθεσθαι ὀφείλομεν, ἐπεὶ ὁ λαὸς πλανᾶται ὀπίσω Ἰησοῦ τοῦ σταυρωθέντος, ἀπάγγειλον ἡμῖν τίς ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ. Καὶ ἀπεκρίνατο φωνῇ μεγάλῃ· τί με ἐπερωτᾶτε περὶ Ἰησοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου; καὶ αὐτὸς κάθηται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐκ δεξιῶν τῆς μεγάλης δυ-

νάμεως, καὶ μέλλει ἔρχεσθαι ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ. Καὶ πολλῶν πληροφορηθέντων, καὶ δοξαζόντων ἐπὶ τῇ μαρτυρίᾳ τοῦ Ἰακώβου, καὶ λεγόντων· ὡςαννὰ τῷ υἱῷ Δάβιδ, τότε πάλιν οἱ αὐτοὶ γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι πρὸς ἀλλήλους ἔλεγον· κακῶς ἐποιησάμην τοιαύτην μαρτυρίαν παρασχόντες τῷ Ἰησοῦ· ἀλλὰ ἀναβάντες καταβάλωμεν αὐτὸν, ἱνὰ φοβηθέντες μὴ πιστεύσωσιν αὐτῷ. Καὶ ἔκραξαν λέγοντες· ὦ, ὦ, καὶ ὁ δίκαιος ἐπλανήθη. Καὶ ἐπλήρωσαν τὴν γραφὴν τὴν ἐν τῷ Ἡσαίᾳ γεγραμμένην, ἄρωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστί. Τοίνυν τὰ γεννήματα τῶν ἐργῶν αὐτῶν φάγονται. Ἀναβάντες οὖν κατέβαλον τὸν δίκαιον, καὶ ἔλεγον ἀλλήλοις, λιθάσωμεν Ἰάκωβον τὸν δίκαιον. Καὶ ἤρξαντο λιθάζειν αὐτόν, ἐπεὶ καταβληθεὶς οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ στραφεὶς ἔθηκε τὰ γόνατα λέγων· παρακαλῶ κύριε θεὲ πάτερ, ἄφες αὐτοῖς· οὐ γὰρ οἴδασι τι ποιοῦσιν. Οὕτω δὲ καταλιθοβολούντων αὐτόν, εἷς τῶν ἱερέων τῶν υἱῶν Ῥήχαβ υἱοῦ Ῥηχαβεὶμ τῶν μαρτυρουμένων ὑπὸ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου ἔκραζε λέγων· παύσασθε, τί ποιεῖτε; εὔχεται ὑπὲρ ὑμῶν ὁ δίκαιος. Καὶ λαβὼν τὶς ἀπ' αὐτῶν εἷς τῶν γναφέων, τὸ ξύλον ἐν ᾧ ἀπεπίεζε τὰ ἱμάτια, ἤνεγκε κατὰ τῆς κεφαλῆς τοῦ δικαίου. Καὶ οὕτως ἐμαρτύρησε· καὶ ἔθαψαν αὐτὸν ἐπὶ τῷ τόπῳ παρὰ τῷ ναῷ, καὶ ἔτι αὐτοῦ ἡ στήλη μένει παρὰ τῷ ναῷ. Μάρτυς οὗτος ἀληθὴς Ἰουδαίοις τε καὶ Ἕλλησι γεγένηται, ὅτι Ἰησοῦς ὁ Χριστός ἐστι. Καὶ εὐθὺς Οὐεσπασίανος πολιορκεῖ αὐτούς.

FRAGMENTUM III.

(Ex Euseb. *Hist.*, lib. II, c. XXXII.)

De Judæ Nepotibus apud Domitianum reis.

Ἔτι δὲ περιῆσαν οἱ ἀπὸ γένους τοῦ Κυρίου υἱωνοὶ Ἰούδα, τοῦ κατὰ σάρκα λεγομένου αὐτοῦ ἀδελφοῦ, οὓς ἐδηλατόρευσαν, ὡς ἐκ γένους ὄντας Δάβιδ. Τούτους δ' ὁ Ἰουόκατος ἤγαγε πρὸς Δομετιανὸν Καίσαρα· ἐφοβεῖτο γὰρ τὴν παρου-

σίαν τοῦ Χριστοῦ ὡς καὶ Ἡρώδης· καὶ ἐπηρώτησεν αὐτοὺς εἰ ἐκ Δαβὶδ εἰσὶ καὶ ὡμολόγησαν. Τότε ἠρώτησεν αὐτοὺς πόσας κτήσεις ἔχουσιν, ἢ πόσων χρημάτων κυριεύουσιν. Οἱ δὲ εἶπον ἀμφότεροι ἐννακισχίλια δηνάρια ὑπάρχειν αὐτοῖς μόνα, ἑκάστῳ αὐτῶν ἀνήκοντως τοῦ ἡμίσεως· καὶ ταῦτα οὐκ ἐν ἀργυρίοις ἔφασκον ἔχειν, ἀλλ' ἐν διατιμήσει γῆς πλήθρων τριάκοντα ἐννέα μόνων. Ἐξ ὧν καὶ τοὺς φόρους ἀναφέρειν, καὶ αὐτοὺς αὐτουργοῦντας διατρέφεσθαι. Εἶτα δὲ καὶ τὰς χεῖρας τὰς ἑαυτῶν ἐπιδεικνύναι· μαρτύριαν τῆς αὐτουργίας τὴν τοῦ σώματος σκληρίαν, καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς συνεχοῦς ἐργασίας ἐναποτυπωθέντας ἐπὶ τῶν ἰδίων χειρῶν τύλους παριστάντας. Ἐρωτηθέντας δὲ περὶ τοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ, ὁποία τὶς εἴη καί ποτε καὶ ποῖ φανησομένη, λόγον δοῦναι, ὡς οὐ κοσμικὴ μὲν οὐδ' ἐπίγειος, ἐπουράνιος δὲ καὶ ἀγγελικὴ τυγχάνει, ἐπὶ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος γενησομένη, ὁπηνίκα ἐλθὼν ἐν δόξῃ κρίνειε ζῶντας καὶ νεκροὺς, καὶ ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ· ἐφ' οἷς μηδὲν αὐτῶν κατεγνωκότα τὸν Δομετιανόν, ἀλλὰ καὶ ὡς εὐτελῶν καταφρονήσαντα, ἐλευθέρους μὲν αὐτοὺς ἀνεῖναι, καταπαῦσαι δὲ διὰ προστάγματος τὸν κατὰ τῆς ἐκκλησίας διωγμόν. Τοὺς δὲ ἀπολυθέντας, ἡγήσασθαι τῶν ἐκκλησιῶν, ὡς ἂν δὴ μάρτυρας ὁμοῦ καὶ ἀπὸ γένους ὄντας τοῦ Κυρίου. Γενομένης τε εἰρήνης, μεχρὶ Τραιανοῦ παραμεῖναι αὐτοὺς τῷ βίῳ.

FRAGMENTUM. IV.

(Ex Euseb. *Hist.*, lib. III, c. XXXII.)

Ὁ δ'αὐτὸς συγγραφεὺς, καὶ ἑτέρους ἀπὸ γένους ἑνὸς τῶν φερομένων ἀδελφῶν τοῦ σωτῆρος, ᾧ ὄνομα Ἰούδας, φησὶν εἰς τὴν αὐτὴν ἐπιβιῶναι βασιλείαν, μετὰ τὴν ἤδη πρότερον ἱστορεθεῖσαν αὐτῶν ὑπὲρ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως ἐπὶ Δομετιανοῦ μαρτυρίαν. De iisdem Judæ Nepotibus.

Ἔρχονται οὖν καὶ προηγοῦνται πάσης ἐκκλησίας ὡς μάρτυρες, καὶ ἀπὸ γένους τοῦ Κυρίου. Καὶ γενομένης εἰρήνης βαθείας ἐν πασῇ ἐκκλησίᾳ, μένουσι μέχρι Τραιανοῦ Καίσαρος. Μέχρις οὗ ὁ ἐκ θείου τοῦ κυρίου ὁ προειρημένος Συμεὼν υἱὸς Κλωπᾶ, συκοφαντηθεὶς ὑπὸ τῶν αἱρέσεων, ὡσαύτως κατηγορήθη καὶ αὐτὸς ἐπὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ ἐπὶ Ἀττικοῦ τοῦ ὑπατικοῦ. Καὶ ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας αἰκιζόμενος, ἐμαρτύρησεν· ὡς πάντας ὑπερθαυμάζειν, καὶ τὸν ὑπατικόν, πῶς ἑκατὸν εἴκοσι τυγχάνων ἐτῶν ὑπέμεινε· καὶ ἐκελεύσθη σταυρωθῆναι.

Ἐπὶ τούτοις ὁ αὐτὸς ἀνὴρ (ὁ Ἡγήσιππος) διηγούμενος τὰ κατὰ τοὺς δηλουμένους, ἐπιλέγει ὡς ἄρα μέχρι τῶν τότε χρόνων πάρθενος καθαρὰ καὶ ἀδιάθφορος ἔμεινεν ἡ ἐκκλησία, ἐν ἀδήλῳ που σκότει φωλευόντων εἰσέτι τότε, τῶν, εἰ καί τινες ὑπῆρχον, παραφθείρειν ἐπιχειρούντων τὸν ὑγιῆ κανόνα τοῦ σωτηρίου κηρύγματος.

FRAGMENTUM V.

(Ex Euseb. *Hist. Eccl.*, lib. IV, c. XXII.)

De diversis Judæorum sectis, e quibus Christianæ postea effluxerunt.

Καὶ μετὰ τὸ μαρτυρῆσαι Ἰάκωβον τὸν δίκαιον ὡς καὶ ὁ Κύριος ἐπὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ πάλιν ὁ ἐκ θείου αὐτοῦ Συμεὼν ὁ τοῦ Κλωπᾶ καθίσταται ἐπίσκοπος· ὃν προέθεντο πάντες ὄντα ἀνεψιὸν τοῦ κυρίου δεύτερον. Διὰ τοῦτο ἐκάλουν τὴν ἐκκλησίαν παρθένον· Οὔπω γὰρ ἔφθαρτο ἀκοαῖς ματαίαις. Αρχεται δ' ὁ Θέβουτις διὰ τὸ μὴ γένεσθαι αὐτὸν ἐπίσκοπον, ὑποφθείρειν ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων, ὧν καὶ αὐτὸς ἦν, ἐν τῷ λαῷ, ἀφ' ὧν Σίμων ὅθεν οἱ Σιμωνιανοί· καὶ Κλεόβιος ὅθεν Κλεοβιηνοί· καὶ Δοσίθεος ὅθεν Δοσιθιανοί· καὶ Γορθαῖος ὅθεν Γορθηωνοί· καὶ Μασβωθαῖος, ὅθεν Μασβωθαιανοί· ἀπὸ τούτων Μενανδριανισταί, καὶ Μαρκιωνισταί, καὶ Καρπωκρατιανοί· καὶ Οὐαλεντινιανοί, καὶ Βασιλειδιανοί, καὶ Σατορνιλιανοί· ἕκαστος ἰδίως καὶ ἑτέρως ἰδίαν δόξαν πα-

ρεισηγάγησαν. Ἀπὸ τούτων ψευδόχριστοι· ψευδοπροφῆται· ψευδαπόστολοι· οἵ τινες ἐμέρισαν τὴν ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας φθοριμαίοις λόγοις κατὰ τοῦ θεοῦ καὶ κατὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ.

FRAGMENTUM VI.

(Ex Euseb. *Hist. Eccl.*, lib. III, c. XXXII.)

Ἀπὸ τούτων δηλαδὴ τῶν αἱρετικῶν κατηγοροῦσι τινὲς Συμεῶνος τοῦ Κλωπᾶ, ὡς ὄντος ἀπὸ Δαβὶδ καὶ Χριστιανοῦ. Καὶ οὕτως μαρτυρεῖ ἐτῶν ὢν ἑκατὸν εἴκοσιν, ἐπὶ Τραιανοῦ Καίσαρος καὶ ὑπαττικοῦ Ἀττικοῦ. De Simeonis Cleopæ martyrio.

Φησὶ δὲ ὁ αὐτὸς ὡς ἄρα καὶ τοὺς κατηγόρους αὐτοῦ, ζητουμένων τοτε τῶν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς Ἰουδαίων φυλῆς, ὡσὰν ἐξ αὐτῆς ὄντας, ἁλῶναι συνέβη.

FRAGMENTUM VII.

(Ex Euseb. *Hist. Eccl.*, lib. IV, c. XXII.)

Καὶ ἐπέμενεν ἡ ἐκκλησία ἡ Κορινθίων ἐν τῷ ὀρθῷ λόγῳ μέχρι Πρίμου ἐπισκοπεύοντος ἐν Κορίνθῳ· οἷς συνέμιξα πλέων εἰς Ῥώμην, καὶ συνδιέτριψα τοῖς Κορινθίοις ἡμέρας ἱκανάς· ἐν αἷς συνανεπάημεν τῷ ὀρθῷ λόγῳ. Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ, διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου, οὗ διάκονος ἦν Ἐλεύθερος. Καὶ παρὰ Ἀνικήτου διαδέχεται Σωτὴρ, μεθ' ὃν Ἐλεύθερος. Ἐν ἑκάστῃ δὲ διαδοχῇ καὶ ἐν ἑκάστῃ πόλει οὕτως ἔχει, ὡς ὁ νόμος κηρύττει καὶ οἱ προφῆται καὶ ὁ κύριος. De Hegesippi peregrinationibus, et Ecclesiis Corinthi et Romæ.

FRAGMENTUM VIII.

(Ex Euseb. *Hist. Eccl.*, lib. IV, c. VIII.)

Καθ' ὃν ἐγνωρίζετο (ὁ Ἡγήσιππος) σημαίνει χρόνον, περὶ τῶν ἀρχῆθεν ἱδρυσάντων τὰ εἴδωλα οὕτω πῶς γράφων· Οἷς κενοτάφια καὶ ναοὺς ἐποίησαν ὡς μέχρι νῦν· ὧν ἐστὶ καὶ Ἀντίνοος δοῦλος Ἀδριανοῦ Καίσαρος, οὗ καὶ ἀγὼν ἄγεται Ἀν- De Antinoi cultu.

τινόειος ἐφ' ἡμῶν γενόμενος. Καὶ γὰρ καὶ πόλιν ἔκτισεν ἐπώνυμον Ἀντινόου καὶ προφήτας.

Ea quæ hic subjicimus, non Hegesippi sed Eusebii, Photiique verba sunt.

I.

(Ex Euseb. *Hist. Eccl.*, lib. IV, c. xxII.)

De scriptis Hegesippi.

Καὶ ἕτερα καὶ πλεῖστα γράφει (ὁ Ἡγήσιππος) ὧν ἐκ μέρους ἤδη πρότερον ἐμνημονεύσαμεν, οἰκείως τοῖς καιροῖς τὰς ἱστορίας παραθέμενοι· ἔκ τε τοῦ καθ' Ἑβραίους Εὐαγγελίου καὶ τοῦ Συριακοῦ, καὶ ἰδίως ἐκ τῆς Ἑβραΐδος διαλέκτου τινὰ τίθησιν, ἐμφαίνων ἐξ Ἑβραίων ἑαυτὸν πεπιστευκέναι· καὶ ἄλλα δὲ ὡς ἂν ἐξ Ἰουδαϊκῆς ἀγράφου παραδόσεως μνημονεύει· οὐ μόνος δὲ οὗτος ἀλλὰ καὶ Εἰρηναῖος καὶ ὁ πᾶς τῶν ἀρχαίων χόρος, πανάρετον σοφίαν τὰς Σολόμωνος παροιμίας ἐκάλουν. Καὶ περὶ τῶν λεγομένων δὲ ἀποκρύφων διαλαμβάνων, ἐπὶ τῶν αὐτοῦ χρόνων πρός τινων αἱρετικῶν ἀναπεπλάσθαι τινὰ τούτων ἱστορεῖ.

II.

(Ex Euseb. *Hist. Eccl.*, lib. III, c. xvI.)

De ecclesia Corinthiorum.

Ἀκοῦσαι γέτοι πάρεστι μετά τινα περὶ τῆς Κλέμεντος πρὸς Κορινθίους ἐπιστολῆς αὐτῷ εἰρήμενα ἐπιλέγοντος (τοῦ Ἡγησίππου) καὶ ἐπέμενεν, κ. τ. λ. καὶ ὅτι γε κατὰ τὸν δηλούμενον (Κλήμεντα) τὰ τῆς Κορινθίων κεκίνητο στάσεως, ἀξιόχρεως μάρτυς ὁ Ἡγήσιππος.

III.

(Ex Euseb. *Hist. eccl.*, lib. IV, c. vIII.)

De Hegesippi commentariis.

Ἐν τούτοις ἐγνωρίζετο ὁ Ἡγήσιππος, οὗ πλείσταις ἤδη πρότερον κεχρήμεθα φωναῖς· ὡς ἂν ἐκ τῆς αὐτοῦ παραδόσεως τινὰ τῶν κατὰ τοὺς ἀποστόλους παρατιθέμενοι. Ἐν

πέντε δὲ οὖν συγγράμμασιν οὗτος, τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος ἁπλουστάτῃ συντάξει γραφῆς ὑπομνηματισάμενος κ. τ. λ.

IV.

(Ex Euseb. *Hist. Eccl.*, lib. III, c. II.)

Τὸν γὰρ οὖν Κλῶπαν ἀδελφὸν τοῦ Ἰωσὴφ ὑπάρχειν Ἡγήσιππος ἱστορεῖ. De Cleopa Josephi fratre.

V.

(Ex Photii *Bibl.*, c. CCXXXII.)

Ὅτι τὰ ἡτοιμασμένα τοῖς δικαίοις ἀγαθὰ οὔτε ὀφθαλμὸς εἶδεν, οὔτε οὖς ἤκουσεν οὔτε ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου ἀνέβη, Ἡγήσιππος μέντοι ἀρχαῖός τε ἄνηρ καὶ ἀποστολικός, ἐν τῷ πέμπτῳ τῶν ὑπομνημάτων οὐκ οἶδ᾽ ὅ τι καὶ παθών, μάτην μὲν εἰρῆσθαι ταῦτα λέγει, καὶ καταψεύδεσθαι τοὺς ταῦτα φαμένους τῶν τε θείων γραφῶν καὶ τοῦ Κυρίου λέγοντος· Μακάριοι οἱ ὀφθαλμοὶ ὑμῶν οἱ βλέποντες καὶ τὰ ὦτα ὑμῶν τὰ ἀκούοντα καὶ ἑξῆς. De his Scripturæ verbis : « Bona præparata sunt, etc. »

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. XII kalend. jun. ann. MDCCCL.

Facultatis litterarum in Academia parisiensi decanus,

J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur,

ROUSSELLE,

Rectoris vices gerens.

TABULA.

E TYPIS DE CRAPELET

VIA DICTA DE VAUGIRARD, 9







